DE PLATONIS RATIONE POETAS LAUDANDI

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM JENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GUILELMUS LANGBEIN

SAXO-GOTHANUS

JENAE

TYPIS ANTONI KAEMPFE

MCMXI.

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Hirzel.

Jena, den 14. Januar 1911.

Professor Dr. **Cartellieri**,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBUS · CARISSIMIS ·
SACRUM

Conspectus rerum.

I. Exordium.

II. Tractatio.

Addenda et corrigenda.

p. 26 l. 16 subaudi ceteroqui.
p. 34 l. 25 lege indicatur pro iudicatur.
p. 38 adn. 1 l. 2 pro indicatur lege indicato.
p. 43 l. 7 pro ἥπιστατο lege ἠπίστατο.
p. 43 l. 26 pro γένεσίν lege γένεσιν.
p. 45 l. 22 pro alienus lege alienum.
p. 47 adn. 1 l. 3 pro mixta lege mixtum.
p. 48 l. 21 pro ἥ lege ἦ.

Introductio.

„In citandis auctoribus primus frequens esse coepit Aristoteles: neque tamen infrequens fuit Plato. Hunc multa e prioribus sumpsisse, nulla eorum facta mentione, non solum est probabilis coniectura, sed certa res multis documentis ac testibus confirmata. Ergo ratio duci debet diligens priorum scriptorum: cum philosophorum, nec modo eorum, qui recensentur a Diogene Laertio, sed aliorum ab Aristotele memoratorum, in primis eorum qui carmina scripserunt, Xenophanis, Parmenidis, Empedoclis, Epicharmi, tum vero, historicorum, sophistarum, oratorum, aliorumque omnium. Sed plerorumque cum libri perierint, nec nisi leves reliquiae in aliorum scriptis sparsae lateant;

Ceterum in iis, quae extant integra, scriptis, prompta ac parata, certe minus difficilis, est observatio. Homericae quidem et Hesiodeae imitationes cuique Platonem legenti sponte in oculos incurrunt: aliae magis latent, veluti ex lyricis, tragicis, comicis expressae.

Et profecto ita res se habet, ut maximum criticae feliciter tractandae momentum positum sit in cognitione fontium, unde scriptor quisque et res et verba hauserit; quippe ignoratis fontibus, plurimorum locorum et sententiam et venustatem latere necesse est.“ Haec recte monuit D. Wyttenbach in epistola van Heusdii „Specimini critico in Platonem“ praemissa (p. LVIII sq.).

Dicendum vero est Platonem poetas testari, rarissime orationis solutae auctores[1]), quamquam simile aliquid omni

---

1) cf. Protagoras in Theaeteto, Hippocrates in Phaedro.

aetate et apud omnes populos accidat. cf. Quintil. Inst. orat. V 11, 39 „nam sententiis quidem poetarum non orationes modo sunt refertae, sed libri etiam philosophorum, qui quamquam inferiora omnia praeceptis suis ac litteris credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis versibus non fastidierunt“.

Sed quomodo auctores, qui ante Platonem floruerunt, alienis usi sunt? Quam rem optime adumbravit Rudolfus Seippel in dissertatione Gryphiensi (1903), quae inscribitur „De veterum scriptorum Graecorum ratione auctores laudandi“. Recte, ut opinor, poetam quendam versuum laudandorum initium fecisse videri ille dicit (p. 3); cuius rei documento est, quod Xenophanes et Heraclitus Homerum atque Hesiodum reprehendunt. Ac posterioris aetatis poetae carmina versibus aliunde depromptis exornabant[1]); praecipue autem lyricorum proprium fuit, quae ipsi dicerent, ea aut confirmare auctoritatibus aut contra eas defendere, v. Pindar. Pyth. IV 277; Nem. VII 20 sqq.; Isthm. VI 67, frgm. 188 Schr. Simonid. in Platonis Protag. p. 339 C (*τὸ Πιττάκειον*), frgm. 53, 58, 85, 57, ubi Cleobuli Lindii sententiae obtrectat (*μωροῦ φωτὸς ἅδε βουλά*). Bacchyl. V 192 Bl. cf. Aeschyl. Prom. 886 sqq.; Soph. Antig. 621, 366 (v. Sauppe ad Protag. p. 344 D). Antimachum quidem Homero totos versus (cf. Simonidis frgm. 85) et versuum partes Homero furatum esse tradit Eusebius Praep. ev. X 3, p. 467 (v. A. Ludwich in libro, qui inscribitur „Die Homervulgata als voralexandrinisch erwiesen“, Lips. 1898, p. 68, adn. 1).

E comicis[2]) maxime Aristophanes aliorum imprimis tragicorum poetarum versus aut ipsis verbis transcripsit

---

1) Quod cum Seippelius quaerere omiserit, hic breviter indicare liceat.

2) cf. Sengebuschii dissertationis Homericae prioris p. 178 sqq. et A. Roemer in Philologi vol. LXVII (1908) p. 247 sqq., qui multos e tragicis petitos locos apud Aristophanem investigavit.

aut paululum mutatos ita adhibuit, ut statim, qui audiebant, sentirent unde sumpsisset comicus. cf. e. g. Acharn. 659 sqq.; Thesmoph. 134 sqq.; Nub. 1056 sq.; Pac. 1096 sqq., 1273 sqq., 1280 sqq., 1287; Av. 907 sqq.; Daetal. frgm. 222 K.

Sed alia causa commoti comici aliena adhibebant, nimirum ut animos audientium hilarent risumque moverent res levissimas cum tragica gravitate — saepe nullum certum locum imitati tragica gravitate orationem induunt, id quod *παρατραγῳδεῖν* vocant grammatici — pronuntiantes vel tristissimas faceta imitatione ita experimentes ut fierent ridiculae. Atque eiusmodi versibus fieri potuit, ut alius poeta vel festive perstringeretur vel acrius irrideretur vel acerbe reprehenderetur. Tamen Aristophanes quidem alienos versus plus semel adhibuit nullo irridendi consilio, sed quippe qui celeberrimi essent ipsique comico probati. Quae res eo progreditur, ut multi mediae comoediae poetae, quae alii poetae scite atque eleganter scripserunt, ea hi in usum suum converterint (v. Bergk. Commentationum de reliquiis comoediae Atticae antiquae libri II (Lipsiae 1838) p. 420), ac Clemens Alexandrinus nobilissimo loco de furtis Graecorum, Strom. 737 sqq., multa exempla apud poetas, oratores, philosophos, historicos reperta enumerat.

Accedit aliud, quod tum multorum scriptorum consuetudo fuisse videtur: nimirum orationem versibus e carminibus deprompuis exornabant. Hoc mirum non est, quia poetarum studio Graeci illa aetate et puerorum institutioni multum tribuebant et in eis legendis et iuvenes et senes, qui quidem politioris humanitatis expertes non erant, ita versati erant, ut multae poetarum voces, quasi res omnium communis, pervulgatae essent. Plato quidem leg. VII p. 810 E tradit plurimos magistros *τοὺς ὀρθῶς παιδευομένους τῶν νέων* quam maximum numerum carminum quorundam sive totum sive *ἐκ πάντων κεφάλαια ἐκλέξαντας καί τινας ὅλας ῥήσεις* pueros ediscendos curavisse.

In Aeschinis pueritia eligendi et excerpendi rationem a Platone et Isocrate (ad Nicocl. 43 et ad Demon. 51) ad scholarum usum commendatam usitatam fuisse testatur Aeschin. in Ctesiph. 135 Blass: *διὰ τοῦτο γὰρ οἶμαι παῖδας ὄντας ἡμᾶς τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα.* De hac ratione, qua usi sunt grammatistae, cf. Plat. Euthyd. p. 276 C: *ὁπότε ἀποστοματίζοι ὑμῖν ὁ γραμματιστής, πότεροι ἐμάνθανον τῶν παίδων τὰ ἀποστοματιζόμενα;* cf. etiam quae Niceratus in Xenoph. Conv. 3, 5 dicit. Similiter Plato in Prot. p. 326 A sq. tradit Graecos maximeque Athenienses iam puerili disciplina poetarum praeceptis imbutos esse, quippe qui quasi parentes sapientiae optimique virtutis magistri videantur (cf. Lysid. p. 214 A *οὗτοι* (scil. *οἱ ποιηταί*) *γὰρ ἡμῖν ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶν καὶ ἡγεμόνες*).

Imprimis autem tum sophistae pedestri sermoni poetarum versus inserebant. Hi enim, cum non tam in exploranda veritate operam collocarent quam in ostentanda sua ipsorum elegantia sermonis ac sententiarum tali subsidio, ut populi aures mentesque captarent, utebantur.

Quod facillime assequebantur, cum non solum aliena saepissime in suum usum adhiberent, sed etiam poetarum interpretationi operam darent. Simonides quidem ab eis, quorum proavum iure appelles, valde adamatus est, qui ipsius sapienter dicta in disputationibus fundamentum ponere consueverant. Qua de causa Plato rep. I p. 331 E: *Σιμωνίδῃ γε*, inquit, *οὐ ῥᾴδιον ἀπιστεῖν-σοφὸς γὰρ καὶ θεῖος ἀνήρ;* nimirum huic loco urbana quaedam irrisio admixta est. Hanc igitur consuetudinem saepius Plato facete irridet atque perstringit[1]), velut Protag. p. 316 D. ubi idem sophista Homerum, Hesiodum, Simonidem, Orpheum, Mu-

1) cf. Sengebusch, Diss. Homeric. I p. 115 sqq. de Antisthene et p. 52 de Homericarum glossarum interpretatione. De Isocrate sophistarum rationi adversante cf. Fr. Blass „Die attische Beredsamkeit" vol. II p. 46 editionis alterius.

saeum antiquissimos sophistas[1]) praedicat et Cratyl. p. 398 E, ubi philosophus Homerum heroibus nomina imponentem facit e consilio sophistarum et nomen ipsum *ἥρως* ita explicat *ὥστα ῥητόρων καὶ σοφιστῶν γένος γίγνεται τὸ ἡρωικὸν φῦλον*. Quod Protag. p. 340 D (*καὶ ἴσως ἂν φαίη κτλ.*) legitur, hoc Plato Prodicum aliosque dicentes facit, non Socratem, quia sophistarum erat poetarum locos cum eiusdem generis locis comprobare. Similiter Callicles, Gorgiae discipulus, sententias suas verbis Euripideis exornat, velut in Gorgia dialogo laudat vitam in rebus publicis versantem prae vita philosophorum totam partem ab Euripidis Antiopa mutuans, qua Zethus et Amphio inter se altercantur suam uterque artem laudibus efferens. Atque ut demonstret Callicles philosophorum mentes a rebus gerendis publicis alienas esse, ad unum Euripidem confugit cf. Gorg. p. 484 E *συμβαίνει γὰρ τὸ τοῦ Εὐριπίδου·* — Deinde versus eiusdem tragoediae spectat ibid. p. 485 E; p. 486 B, C. Postea Euripides, ut is poeta, quem sophistae laudare soleant, a Platone illuditur eo, quod p. 492 E Socrates, ut Calliclis sententiam refellat, ad illius verba confugit.

Quanti autem sophistae poetarum interpretationem aestimaverint, optime intellegitur e Protag. p. 339 A[2]) et Hipp. min. p. 363 B sq. Quae ratio ut ipsis valde expedita erat, ita plurimis audientium vel legentium placebat et maiorem veritatis speciem praebere videbatur. Quam ob rem Plato eorum interpretandi genus improbat: Protag. p. 347 E *οὐδὲν δέονται ἀλλοτρίας φωνῆς οὐδὲ ποιητῶν, οὓς οὔτε ἀνερέσθαι οἷόν τ' ἐστὶν περὶ ὧν λέγουσιν, ἐπαγόμενοί τε αὐτοὺς οἱ πολλοὶ ἐν τοῖς λόγοις οἱ μὲν ταῦτά φασιν τὸν ποιητὴν νοεῖν, οἱ δ' ἕτερα, περὶ πράγματος διαλεγόμενοι ὃ ἀδυνατοῦσι ἐξελέγξαι*: sed voluit hoc: Charm. p. 161 C

1) cf. quod Aristophanes Iniusto suo ororatori festive tribuit Nub. 1056 sq.

2) ibid. p. 338 E summum eorum *παιδείας μέγιστον μέρος εἶναι περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι* dicentem facit.

πάντως γὰρ οὐ τοῦτο σκεπτέον, ὅστις αὐτὸ εἶπεν, ἀλλὰ πότερον ἀληθὲς λέγεται ἢ οὔ[1]). Cf. etiam, quod Phaedr. p. 275 B Socrates Phaedro crimini vertit, et Gorg. p. 472 A.

Quaesiverit quispiam, cur Plato ipse laudandi rationem sequatur et poetarum, cum nimis severe ne optimis quidem exceptis iudicet, versus ad argumentationem adhibeat. Qua de re ipse haec testatur: *οἶμαι μὲν τὸ τοιόνδε σχεδόν, ὃ καὶ πᾶς ἄν μοι συγχωρήσειεν, πολλὰ μὲν ἕκαστον τούτων εἰρηκέναι καλῶς, πολλὰ δὲ καὶ τοὐναντίον:* leg. VII p. 811 B cf. leg. III p. 682 A; Men. p. 99 C sq.

Hic ei quoque loci notandi sunt, ubi verba eadem, quae Platonis vituperationem subeunt, ab eo orationis exornandae causae adhibentur; cf. rep. III p. 386 C et rep. VII p. 516 D; rep. II p. 381 D et initium Sophistae dialogi.

Solonis illud *γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος* citat noster Lach. p. 188 B et 189 A. Eundem versum notissimum impugnat novam sententiam subiciens rep. VIII p. 536 D: *Σόλωνι γὰρ οὐ πειστέον ὡς γηράσκων τις πολλὰ δυνατὸς μανθάνειν.* Praeterea Hesiodi Op. et D: versus 286 sqq. rep. II p. 364 C sq. ab Adimanto vituperari facit propter res, quae ei subsunt, sed leg. IV p. 718 E sq. eum locum non irridet ut multitudinis opinionem exhibentem, sed eo testimonio et argumento utitur.

Simili modo Plato Homerum e re publica illa, quam animo sibi finxit, expulit, quia poeseos indoles a moribus civium, quales in illa *πολιτείᾳ* esse deberent, aliena visa est; quod non impedivit eundem, quominus Homerum valde admiraretur reputans, quanta suavitate et pulchritudine eius genus dicendi excelleret, ita ut id sibi imitandum proponeret (cf. Dionys. Halic. de comp. verb. 24).

---

1) Recte O. Apelt in Novis Annalibus 19 (1907) p. 253 „Nichts kann ihn (scil. Plato) mehr zum Spott reizen als die gedankenlose, keinen Unterschied machende Berufung auf die überlegene Weisheit der uralten Vorfahren, seien es Herrscher oder Gesetzgeber oder Dichter“.

Ceterum, ut hoc commemoremus, valde oblectati sumus eis, quae in diurnis commentariis noster Hebbel monuit (vol. II p. 337, n. 2947, Berolini 1903): „Wenn man den Shakespeare einmal zum Zeugen für die Nichtigkeit des Lebens aufruft und nicht hinzufügt, daß er an einem anderen Ort mit gleichem Ernst von dem hohen und einzigen Wert des Lebens redet, so sündigt man gegen ihn ebenso sehr, wie man gegen den Philosophen sündigen würde, von dem man einen Satz nur halb, etwa bis zum „Aber", das ihn zerschneidet und einschränkt, anführen, dann aber doch den Schluß ziehen wollte". Haec recte monuit poeta ille nobilissimus. Nam versibus propinquis amissis fieri potest, ut quae verba laudem continere videntur, ea olim culpam acerbam praebeant[1]). Nec semper ea, quae philosophus attulit, sententiae verae ipsius putanda sunt: haud enim raro per ora personarum dicit non ea, quae ipse sentit, sed quae alios sentire putat, et ipse fortasse postea repugnaturus est.

Quod e. g. noster Theaet. p. 155 D Hesiodeis verbis consulto alium sensum atque poeta subiecit, hoc eum ludere perspicuum est (v. Stallbaum ad h. l.); similiter Lysid. p. 212 E (v. Stallbaum). Et quamquam prudenter repudiavit allegoricam interpretationem, quippe quae vim inferret ac perverteret sententiam poetarum, tamen in eundem ac plurimi e claris illa aetate Homericis („*οἱ νῦν περὶ Ὅμηρον δεινοί*" Cratyl. p. 407 A) errorem ludens incidit rep. II p. 378 D cf. Sengebusch, Diss. Homeric. I p. 125[2]). Idem vero pertinet ad Hipp. min. dialogum, ubi Antisthenis interpretandi rationem illudi verisimile est cf. Urban, Über

1) cf. scolium illud in Gorg. p. 451 E laudatum, ad quod scholiasta adnotavit *χρηματιστήν* vocem *ἀδόλως* in tertio versu omittere.

2) Quomodo de exemplis e Homero petitis, quibus hunc poetam vituperat, iudicandum sit, exposuerunt Th. Heine „De ratione quae Platoni cum poetis Graecorum intercedit, Vratisl. 1880 p. 6 sq. et F. Stählin „Die Stellung der Poesie in der platonischen Philosophie", Diss. Erlang. 1901, p. 3.

die Erwähnungen der Philosophie des Antisthenes in den Platonischen Schriften. Regimontii 1882 p. 28 sq.

Sed consentaneum est non solum talibus causis, quales enumeravimus, commotum Platonem poetarum locos allegasse, sed etiam, atque id potissimum, orationis exornandae causa, ac tum iam valebat, quod Hermogenes indicat (de ideis II p. 363, 4 Sp.): *καὶ ἀφθονία παραδειγμάτων ἐστίν, εἴ τις ἐκλέγειν παρ' ἑκάστου βούλοιτο.* Illa autem Socratis quoque consuetudo fuisse videtur; nam cum in colloquiis poetas respicere soleret, etiam in dialogis, quibus colloquia eius redduntur aut eis, quae fecit, similia finguntur, plurimos versus eius more laudari perspicuum est (cf. Sengebusch l. l. p. 138).

Ex eis, quae antea disputavimus, apparet distingui posse inter fines, quos ob oculos habuerit Plato: nam aliter alienis verbis utitur, ut suas ipsius sententias eorum testimonio adprobet — atque tunc „laudat" quod proprie dicitur —, aliter ubi refutare eas studet id quod plerumque ita fit ut in prioribus de re publica libris.

Ac primum quidem multa e poesi petita tamquam lumina orationi inserere solet.

Eiusmodi loci *γλυκύτητα* dicendi generi praebere docet Hermog. (de id. II p. 322, 20 sqq. Sp.).

Et Quintilianus docet (Inst. Or. VI 3, 96 sqq.) valde adiuvari urbanitatem et poetarum versibus[1]) commode positis et proverbiis opportune aptatis.

Huc pertinent maxime ei versus, quibus facete interpositis Plato nihil aliud agere videtur nisi ut venustatis gratia alienis verbis utatur pro suis. Talia lumina saepissime occurrunt in initio dialogorum, nonnumquam in epilogo, et eis locis, ubi dialogus vivacior fit simulque minus graviter disputatur: Phaedon. p. 95 B; Phaedr.

1) vel ut sint vel paululum immutati aut aliqua pars versus.

p. 227 B, p. 242 D, p. 243 A, Conv. p. 174 B—D, p. 214 B, p. 220 C; Protag. p. 315 B sq.[1]), p. 348 D; Gorg. p. 505 E; Cratyl. p. 428 A et C sq.; Alcib. I p. 113 C; initium Sophistae dialogi; Charm. p. 155 D; Lachetis epilogus p. 201 B; Menon. p. 76 D, p. 100 A, rep. I. p. 328 E, p. 331 A.

Quorum versuum plurimi in proverbialem usum transierunt cf. Conv. p. 174 B et D, Prot. p. 348 D, Alcib. I p. 113 C, Gorg. p. 505 E, Lach. p. 201 B[2]).

Saepe autem indicat philosophus locum laudari apte, velut rep. I p. 331 A *ὥς καὶ Πίνδαρος λέγει. χαριέντως γάρ τοι, ὦ Σώκρατες, τοῦτ' ἐκεῖνος εἶπεν, — εὖ οὖν λέγει θαυμαστῶς ὡς σφόδρα.* cf. ibid. II p. 362 A, p. 368 A; Cratyl. p. 428 A, Charmid. p. 161 A, Gorg. p. 492 E, leg. III p. 690 E, leg. IV p. 718 E sq. post locum laudatum. cf. rep. V p. 466 C. De proverbiis cf. e. g. leg. X p. 913 B: *ἐπὶ πολλοῖς γὰρ δὴ λεγόμενον εὖ τὸ* — Conv. p. 195 B.

Similibus enuntiatis saepissime sententiam quandam comprobat et affirmat vel argumentatione quadam ex alienis verbis repetit; eos locos graviores esse quam quos modo persecuti simus, perspicuum est, nam illic philosopho liberius aliena mutare licuit, hic propriam eius rationem in citando initam cognoscemus. Eiusmodi exempla exstant: rep. III p. 404 B *καὶ παρ' Ὁμήρου τά γε τοιαῦτα μάθοι ἄν τις* (cf. I p. 334 A); leg. IV p. 706 D *ἦν δέ που*

---

1) quomodo ibi Plato Homeri Necya usus sit, optime explicat J. Vahlen in opusculorum vol. I p. 479 sqq.

2) Nonnumquam verbis quibusdam in eiusmodi locis utitur, velut *πεπονθέναι* vel *ἐπέρχεσθαι* vel *συμβαίνειν*: cf. Parm. p. 137 A *Καίτοι δοκῶ μοι τὸ τοῦ Ἰβυκείου ἵππου πεπονθέναι* .... Conv. p. 198 C, Phaedr. p. 264 D, rep. VII p. 516 D (de proverbio cf. Parm. p. 264 B *παθεῖν τὸ κατὰ τὴν παροιμίαν πάθος*); Gorg. p. 485 E *κινδυνεύω οὖν πεπονθέναι* .... *καὶ γὰρ ἐμοὶ τοιαῦτ' ἄττα ἐπέρχεται πρὸς σὲ λέγειν* .... Cratyl. p. 428 C (cf. Plutarch. de defectu oracul. p. 422 D). Gorg. p. 484 E *συμβαίνει γὰρ τὸ τοῦ Εὐριπίδου.* Theaet. p. 154 D, Alc. I p. 113 C cf. Plutarch. de tranquill. anim. p. 465 A.

τοῦτό γε καὶ παρ' Ὁμήρου λαβεῖν (cf. Arist. rhet. III, 16, 1417 b_3); leg. VI p. 776 E sq. *ὁ δὲ σοφώτατος ἡμῖν τῶν ποιητῶν καὶ ἀπεφήνατο* . . . cf. leg. III p. 681 E, Gorg. p. 484 B. Et testem aliquem adhibens verbis huius rei propriis *μαρτυρεῖν μαρτύρεσθαι, μάρτυρας ἐπάγεσθαι* vel tantum *ἐπάγεσθαι* significat cf. Gorg. p. 525 D; Sophist. p. 237 A sq.; Protag. p. 344 D; rep. II p. 364 C sqq.; Lysid. p. 215 C; leg. I p. 630 A; Lach. p. 201 B *τὸν Ὅμηρον δοκεῖ μοι χρῆναι προβάλλεσθαι.*

Simili modo ei loci allegantur, ubi Plato poetis obtrectat: rep. II p. 383 A *Πολλὰ ἄρα Ὁμήρου ἐπαινοῦντες, ἀλλὰ τοῦτο οὐκ ἐπαινεσόμεθα . . . οὐδὲ Αἰσχύλου* . . . cf. ibid. p. 380 A et p. 381 D. rep. V p. 468 E *Ἀλλ' οὐ πεισόμεθα Ἡσιόδῳ*; Theaet. p. 207 A *οἷον καὶ Ἡσίοδος περὶ ἁμάξης λέγει τὸ "ἑκατὸν δέ τε δούραθ' ἁμάξης". ἃ ἐγὼ μὲν οὐκ ἂν δυναίμην εἰπεῖν, οἶμαι δὲ οὐδὲ σύ.*

Et Euthyphr. p. 12 A Socrates Eutyphronem docet interesse aliquid inter genus et speciem exemplo e carmine quodam petito sic: *λέγω γὰρ δή,* inquit, *τὸ ἐναντίον ἢ ὁ ποιητὴς ἐποίησεν ὁ ποιήσας — ἐγὼ οὖν τούτῳ διαφέρομαι τῷ ποιητῇ.* Nimis severe Simonidem petit, cuius carminum interpretationi sophistae operam impendebant, ut in eis explicandis eloquentiam ac subtilitatem ostenderent. Eum igitur *ἅτε φιλότιμον ὄντα ἐπὶ σοφίᾳ* (Prot. p. 343 C) totum carmen, quod in Protagora dialogo affertur, in Scopam contendit composuisse, ut Pittaci nobilissimum dictum *τὸ χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι* refutaret, atque singulis carminis illius locis eum secum repugnantia exhibere demonstrat cf. Protag. p. 339 B *Δοκεῖ δέ σοι καλῶς πεποιῆσθαι, εἰ ἐναντία λέγει αὐτὸς αὑτῷ ὁ ποιητής;* p. 339 D, p. 340 B, C.

Ac Men. p. 95 B sqq., ubi Plato politicos, quos virtutis magistros esse negat, cum inter eos id ipsum non conveniat, utrum virtus doceri possit necne, et poetas petit, Theognidem festive notat, quod pugnantia loquatur, cum verbis

καὶ παρὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
ἵζε, καὶ ἅνδανε τοῖς, ὧν μεγάλη δύναμις.
ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσιν
συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

virtutem doceri posse contendat, verbis autem

εἰ δ' ἦν ποιητόν καὶ ἔνθετον ἀνδρὶ νόημα,
πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους ἔφερον

οἱ δυνάμενοι τοῦτο ποιεῖν καὶ —

οὔ ποτ' ἂν ἐξ ἀγαθοῦ πατρὸς ἔγεντο κακός,
πειθόμενος μύθοισι σαόφροσιν. ἀλλὰ διδάσκων
οὔ ποτε ποιήσεις τὸν κακὸν ἄνδρ' ἀγαθόν.

neget (*ἐννοεῖς, ὅτι αὐτὸς αὑτῷ πάλιν περὶ τῶν αὐτῶν τἀναντία λέγει;*)[1]); quamquam eundem poetam leg. I p. 630 A contra Tyrtaeum sententiae de summa virtute comprobandae causa laudat (sed legum loco aliam opinionem noster profert). Quod eodem modo explicandum est atque id, quod supra p. 6 monuimus de eis locis, qui altero loco Platonis vituperationem subirent, altero orationis exornandae causa adhiberentur. Ludit enim saepe philosophus poetarum versibus. Accedit quod ipse censet, *ὅτι ποιητής, ὁπόταν ἐν τῷ τρίποδι τῆς Μούσης καθίζηται, τότε οὐκ ἔμφρων ἐστίν, οἷον δὲ κρήνη τις τὸ ἐπιὸν ῥεῖν ἑτοίμως ἐᾷ, καὶ τῆς τέχνης οὔσης μιμήσεως ἀναγκάζεται, ἐναντίως ἀλλήλοις ἀνθρώπους ποιῶν διατιθεμένους ἐναντία λέγειν αὑτῷ πολλάκις, οἶδεν δὲ οὔτ' εἰ ταῦτα οὔτ' εἰ θάτερα ἀληθῆ τῶν λεγομένων* (leg. III p. 719 C).

Tractatio.

Quibus rebus praemissis ad rem ipsam aggrediamur. Cum autem ea, quae adhuc de citandi ratione Platonica

---

1) De Menon. loco cf. O. Immisch in commentationibus Ribbeckianis (Lipsiae 1888) p. 91 sq., qui haec monuit: „Wenn wir also im Menon die Verse 33 ff. und 435 ff. mit der Bemerkung zitiert finden: *ἐννοεῖς, ὅτι αὐτὸς αὑτῷ πάλιν περὶ τῶν αὐτῶν τἀναντία λέγει*, so ist es schwerlich abzuweisen, daß auch an dieser Stelle eine Beziehung auf Antisthenes *περὶ Θεόγνιδος* vorliegt, dessen Buch also auch von der Lehrbarkeit der Tugend gehandelt hat“.

hic illic scripserunt viri docti [1]) e parte, ut arbitror, aut suppleri aut corrigi possint — saepe enim factum est, ut interpretes illam rationem parum perspicientes peccarent — operae pretium esse videtur omnes, qui exstent, locos perscrutari quidque eruere possimus statuere.

Quod ut commodius fieri possit, praemittemus quasdam res ad totam quaestionem spectantes; quas quo magis fulciamus, hic illic exempla ab aliis scriptoribus petemus.

Quamquam enim nobis persuasum est unumquemque auctorem suam fere propriam habere rationem, qua usus afferat aliena, tamen quaedam res in exemplis afferendis multis communes sunt. Ita etiam recentiores variam rationem sequuntur in verbis allegandis, quorum pars nomina auctorum addere veretur, pars in significandis quibusdam locis acquiescit; sunt alii qui adamant eiusmodi allegationes, alii prorsus ab eis abstinent.

Hic cum Platonicam potissimum consuetudinem loquendi sequamur et indagemus, duae quaestiones distinguendae sunt, quarum altera est de ratione, qua loci alieni inducuntur, altera de ipsorum locorum forma.

Quibus in rebus philosophum studuisse apparet, ne temere ageret, sed certis legibus. Ad locum unum vel alterum explicandum, de quibus utiliter disputari posse nobis videtur, maxime ad Platonis orationem recte aestimandam, nonnihil conferamus.

Hic quoque ad ea exempla, quae bis vel saepius afferuntur et e quibus quid certi ad Platonis propriam

---

1) Optime, quamvis breviter, de eo genere disputavit Vahlenus, vir subtili sermonis Platonici cognitione, in opusc. acad. I p. 474 sqq. In universum de eadem re exposuit R. Seippel l. l. (p. 2); quamquam hic initio dissertationis monuit, cum plurimi viri docti nihil aliud nisi quid laudaretur quaesivissent, se, quanam ratione auctores a veteribus scriptoribus Graecis allegarentur, quaesiturum esse, tamen ea non satis accurate observavit, maxime in prioris disputationis parte, ubi de veterum ratione versus afferendi egit.

rationem in citando initam exstricari potest, accedere necesse est. Hoc vero cadit praecipue in eos locos, qui alibi aliter repetuntur, simulque, quae ratio inter antiquam et nostram aetatem intercedat, dilucide apparet et perspicuum fit Platonem versus citare non ut grammaticum verborum curiosum, sed versuum iterum allatorum in eius dialogis tantam et multitudinem et varietatem esse, ut non de omnibus idem statuendum esse videatur.

Etiam proverbiis[1]) debet suum caput esse non minus quam poetarum notorum versibus, quibuscum illa tractat Quintilianus Inst. or. V, 41: „ea quoque, quae vulgo recepta sunt, hoc ipso, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt, ... neque enim durassent haec in aeternum, nisi vera omnibus viderentur“ (cf. etiam ibid. VI 3, 96 sqq.). Huc accedit aliud. „Satis (enim) constat proverbia Graecorum pleraque, ut numeris sunt adstricta, ita poetarum studiis potissimum propagata esse, qui veteris sapientiae praecepta populo grata acceptaque haud cunctanter carminibus suis inseruerunt: et cum poetarum, qui primi usi erant proverbio, non raro oblitterata esset memoria, eiusmodo versus tamquam proverbia adespota ferebantur“ (Bergk, PLG III[4] p. 738) cf. proverbium Conv. p. 174 B laudatum[2]). Praeterea huc pertinent ea proverbia,

1) cf. E. Grünwald, qui scripsit de proverbiis et proverbialibus locutionibus apud Platonem obviis (Progr. gymn. Berol. 1893) opusculum, quo explicavit, quae proverbia et quomodo ea adhiberentur.

2) De huius proverbii forma sequimur eorum explicationem, qui *ἀγαθοὶ δειλῶν* in vero proverbio fuisse testantur. Omnia, quae viri docti de hac re protulerunt, recoquere a nostra causa alienum est. Cum autem ex Platone ipso hanc rem luculentis argumentis disceptare non possimus, ut, si Platonem solum respiciamus, de vera proverbii forma cuiquam persuaderi possit, liceat hic alia eiusdem generis exempla requirere. Plutarchus quidem „Quom. adol. poet. aud. debeat“ p. 33 C sqq. complura exempla attulit quibus mutatis lepidissimus lusus efficitur (piget omnia afferre), et Platonicae mutationi simillimum est, quod Aristophanes Av. 134 proverbii pervulgati: *μή μοι τότ' ἔλθῃς, ὅταν ἐγὼ πράττω καλῶς* (schol.) sententiam in contrarium convertit: *μή μοι τότ' ἔλθῃς, ὅταν ἐγὼ πράττω κακῶς.* — Verbis *τὴν*

quae a quibusdam poetis[1]) profecta sunt et a grammaticis criticisque antiquis in eos referuntur. cf. Conv. p. 195 B *ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει* et Lysid. p. 214 A (cf. ibid. p. 214 B) *λέγουσι* (scil. *οἱ ποιηταί*) *δέ πως ταῦτα, ὡς ἐγῷμαι, ὡδί· αἰεί τοι τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον* (v. Hom. Od. XVII, 218) v. etiam Gorg. p. 510 B et Protag. p. 337 D.

Denique adnotare nobis liceat, quae sint vera Platonis scripta atque genuina, hoc quidem loco nos non tractare. Tamen eos dialogos, quos Platonis esse sive pauci sive multi viri docti dissuadent ne credatur, de citandi ratione cum agitur nonnullas proprietates continere, quae a veris scriptis Platonicis alienae sint, manifestum est.

Argumentationis enim genus etiam positum est in citandis aliorum testimoniis; quod ut frequens est in vero Platone, ita coniunctum cum certa quadam ratione, qua plane Platonica forma et proprietas cernitur. In Platone enim est quaedam consuetudinis et familiaritatis facilitas, ut sententia sponte ei et in mentem venire et in orationem influere videantur, sed in spuriis dialogis apparet quaerentis labor, e. g. in Alc. II cf. E. Bickel „Archiv für Geschichte der Philosophie“ vol. XVII (1904) p. 460 sqq. et quae infra de eodem dialogo statuemus.

Quod ad textum attinet, editione Burnetiana, quae est recentissima, usi sumus.

In hac disputatione de ipsa ratione, quam ad exempla afferenda secutus sit Plato, videamus, quid sit statuendum.

De formulis, quibus Plato aliena inducit.

Atque hinc ordiamur observationem nostram, ut indagemus, quanta varietate formulae excultae sint, quibus Plato locos inducat.

παροιμίαν διαφθείρειν opponitur, quod rep. I p. 329 A legitur: *διασῴζειν τὴν παλαιὰν παροιμίαν.*

1) v. Grünwald l. l. p. 9 sq.

Ut enim orationis cuiusdam, ita loci allegati proprium est verba quaedam, quibus locus alienus respicitur, adicere. Apparet vero talia e verbis dicendi vel, quibus proprie vis dicendi insit, praecipue petita esse.

Ac primum quidem monstrare conabimur, quomodo formae *φησί* et *ἔφη* vel *λέγει* et *εἶπεν* vel sim., quibus exempla afferuntur, intellegendae sint. Et hoc plurimis exemplis cognoscere licet formam *ἔφη* scriptorem temporum, cum auctor locum confecerit, memorem — nimirum ea tantum forma adhibetur in talibus velut leg. III p. 690 B, *ὡς ὁ Θηβαῖος ἔφη ποτὲ Πίνδαρος;* Tim. p. 20 D *ὡς ὁ τῶν ἑπτὰ σοφώτατος Σόλων ποτ' ἔφη* (paulo post tamen (E) legitur *καθάπερ λέγει πολλαχοῦ ἐν τῇ ποιήσει*) —, sed *φησὶν* voce auctorem loci citati, quia etiam nunc scriptus exstat — in libro suo auctor quodammodo praesens est[1]) — ipsum se convertere ad legentem aut audientem, eum quasi ipse alloquatur.

Eiusmodi exempla, ubi utraque forma promiscue inveniantur, afferemus: Charm. p. 161 C *οὐ τοῦτο σκεπτέον, ὅστις αὐτὸ εἶπεν ἀλλὰ πότερον ἀληθὲς λέγεται ἢ οὔ.* Lysid. p. 212 E *ψεύδεθ' ὁ ποιητής, ὅς ἔφη* — Gorg. p. 451 E sq. —, *ὥς φησιν ὁ ποιητὴς τοῦ σκολιοῦ, — . . . . ἐπήνεσεν ὁ τὸ σκολιὸν ποιήσας κτλ.*

In initio rei publicae p. 331 A leguntur haec. . . ., *ὡς καὶ Πίνδαρος λέγει. χαριέντως γάρ τοι, ὦ Σώκρατες, τοῦτ' ἐκεῖνος εἶπεν, ὅτι . . . . εὖ οὖν λέγει θαυμαστῶς ὡς σφόδρα.*

Similiter res se habet, ubi verba, quae poeta aliquis homines quosdam dicentes facit, allegantur, velut Hipp. min. p. 370 A—C . . . *ὀλίγον ὕστερον λέγει* (scil. *ὁ Ἀχιλλεύς*) . . . *φησί . . . ἔτι δὲ πρότερον τούτων . . . εἶπεν.*

1) cf. septem sapientium dicta in Delphico templo incisa: Charm. p. 164 E sq.: . . . *ὁ θεὸς προσαγορεύει τοὺς εἰσιόντας εἰς τὸ ἱερὸν . . . . καὶ λέγει . . . φησίν . . . λέγει . . . τὰ γράμματά φησιν.*

Ea, quam protulimus, sententia stabiliri videtur etiam eiusmodi locis, velut Apollinis oraculo in Apologia commemorato p. 21 A sqq.: *ἀνεῖλεν οὖν ἡ Πυθία* . . . et Socrates secum reputat *τί ποτε λέγει ὁ θεός, καὶ τί ποτε αἰνίττεται;* atque in eodem libro de Thetide filio fatum praedicente legitur p. 28 C sq. *εἶπεν ἡ μήτηρ . . . φησί;* Achilles autem *τοῦ κινδύνου ὠλιγώρησε . . . φησί* . . .

Eadem autem sententia refutari possunt qui ex: *Σωκράτης ἔφη* apud Aristotelem concluserunt verba, quae ita allegarentur, non petita esse ex scripto aliquo, sed esse ita a Socrate viva voce pronuntiata cf. F. Ueberweg „Untersuchungen über die Echtheit und Zeitfolge plat. Schriften", 1861, p. 140 sqq. quem A. Gercke sequi videtur (Neue Jahrb. für das klass. Altert. I, 1898, p. 594) cum dicit: „Er (scil. Aristoteles) trennt ganz genau die Lehren des Socrates und die der Socratischen Dialoge, die er zusammen mit den *ἄγραφα δόγματα* Platon läßt".

Quod enim hi viri docti observaverunt, id in nostratium quidem consuetudinem cadit, qui cum dicunt „Schiller sagt" eius opus quoddam intellegunt, sed praeterito tempore („Schiller sagte") in ea, quae aliquando viva voce dixit, audientes vel legentes delegant.

Dignum est quod notetur ad philosophorum dicta afferenda semper fere praesentis formam adhiberi a Platone, fortasse quia vivae etiam tum eorum sententiae erant et habebant, qui eas defenderent. Quae sententia non refutatur Sophist p. 237 A, ubi expressis verbis *παισὶν ἡμῖν οὖσιν* (cf. 217 C) in prius tempus delegatur — ideo *ἀπεμαρτύρατο* [1]), deinde vero *φησίν* atque iterum postea

---

1) Simile discrimen occurrit Gorg. p. 493 B *τὸ δὲ κόσκινον ἄρα λέγει, ὡς ἔφη ὁ πρὸς ἐμὲ λέγων* cf. A *ἤδη γάρ του ἔγωγε καὶ ἤκουσα τῶν σοφῶν . . . τις μυθολογῶν κομψὸς ἀνήρ, ἴσως Σικελός τις ἢ Ἰταλικός . . . ὠνόμασε*), Sed quomodo res sese habet de Heracliti dicto Conv. p. 187 A citato: *ὥσπερ ἴσως καὶ Ἡράκλειτος βούλεται λέγειν* et paulo post *ἀλλὰ ἴσως τόδε ἐβούλετο λέγειν?* Quae res ita explicanda est, ut voce *ἐβούλετο*

μαρτυρεῖται neque ibi tantum de scriptis verbis agitur, sed de eis quoque, quae viva voce et ipso Socrate audiente a Parmenide pronuntiata sunt, — aut Theaet. p. 180 D sq., ubi quamquam ante locum citatum auctore non nominato aoristum, tamen philosophis postea commemoratis praesentis formam invenias —, allegatis nimirum verbis iam quodammodo ei praesentes facti sunt.

Nonnumquam occurrit iuxta praesens tempus et aoristum vel imperfectum etiam perfectum: leg. III p. 681 E sq. . . . *καὶ Ὅμηρος ἐπεσημήνατο, λέγων . . . πού φησιν . . . λέγει γὰρ δὴ ταῦτα τὰ ἔπη καὶ ἐκεῖνα, ἃ περὶ τῶν Κυκλώπων εἴρηκεν·* similiter rep. III p. 389 E sq. *καὶ Ὁμήρῳ Διομήδης λέγει . . . καὶ ὅσα ἄλλα τις ἐν λόγῳ ἢ ἐν ποιήσει εἴρηκε νεανιεύματα* . . . . Phaedon. p. 112 A *Ὅμηρος εἶπε . . . ὃ καὶ ἄλλοθι καὶ ἐκεῖνος καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ποιητῶν Τάρταρον κεκλήκασιν.*

Ex omnibus, quae enumeravimus, exemplis tempora in poetarum exemplis afferendis variari apparet: longe saepissime Plato praesenti tempore utitur, nonnumquam ita loquitur, quasi in praeteritum tempus audientem subito releget, in quam inconstantiam, quae videtur, saepe incidit, cum poetarum versus ita reddit, ut in uno et altero orationis membro praeterito tempore utatur, deinde ad praesens redeat aut vice versa.

Haec dicendi verba saepe eam formam praebent, ut ad verbum finitum sententiae eiusdem verbi participium abundanter addatur. Qua de conformatione enuntiatorum optime egit Vahlenus in opusc. acad. I p. 499 sqq., ubi (p. 502) eam abundantiam plerumque in dicendi, appellandi verba cadere dixit. Cuius orationis genus quae sit natura,

---

accuratius demonstrari videantur ea, quae Heraclitus excogitaverit (*ἐβούλετο*), paululum distare ab ea sententia, quam hic philosophus verbis aperuerit (*βούλεται*); hoc minime mirum est, cum illa aetate oratione non satis exculta perspicue dicere aut exprimere aliquid verbis difficile fuerit.

ex his exemplis ad nostram rem pertinentibus perspicuum fiet: Phaed. p. 112 A *τοῦτο, ὅπερ Ὅμηρος εἶπε, λέγων αὐτὸ* — Gorg. p. 492 E *οὐ γάρ τοι θαυμάζοιμ' ἂν εἰ Εὐριπίδης ἀληθῆ ἐν τοῖσδε λέγει, λέγων* — Charm. p. 161 A *Ὁμήρῳ οὐ πιστεύεις καλῶς λέγειν, λέγοντι ὅτι* — cf. rep. I p. 331 E *τί φῂς τὸν Σιμωνίδην λέγοντα ὀρθῶς λέγειν περὶ δικαιοσύνης;* Conv. p. 180 A Paulo aliter intellegenda sunt Charmid. p. 155 D, Conv. p. 195 D, Menon. p. 100 A, rep. II p. 368 A, Sophist. p. 237 A.

Pro hac participii abundantia Plato alium quoque circuitum loquendi adamat, velut Cratyl. p. 428 C *ὃ ἐκεῖνος* (scil. *ὁ Ἀχιλλεύς*) *ἐν Λιταῖς πρὸς τὸν Αἴαντα λέγει· φησὶ δὲ* — ibid. p. 392 D *ἢ αὐτὸς* (scil. *Ὅμηρος*) *ἡμῖν κάλλιστα ὑφηγεῖται τὸ διότι; φησὶν γάρ* — Phaed. p. 107 E *οὐχ ὡς ὁ Αἰσχύλου Τήλεφος λέγει· ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἁπλῆν οἶμόν φησιν κτλ.* cf. praeterea Charm. p. 163 B, Conv. p. 187 A, Sophist. p. 216 A, leg. I p. 630 A.

Tamen non desunt exempla similium enuntiatorum, quae participium vel alium loquendi circuitum non habent, velut Theaet. p. 180 DE *ὀλίγου δὲ ἐπελαθόμην, ὦ Θεόδωρε, ὅτι ἄλλοι αὖ τἀναντία τούτοις ἀπεφήναντο* — rep. III p. 389 E *οἷα καὶ Ὁμήρῳ Διομήδης λέγει* — (Hipp. mai. p. 289 B) alibi.

Aliud etiam genus Plato maxime ad verba aliena afferenda adhibet: dico periodi palindromiam, quae vocatur (cf. Schanz „Nov. comment. Platonicae" p. 10 sq.). Cuius rei exempla exstant haec: Cratyl. p. 408 A *οἷον καὶ Ὅμηρος πολλαχοῦ λέγει, ἐμήσατο, φησίν.* Simile aliquid Charm. p. 164 E legitur: *καὶ λέγει πρὸς τὸν ἀεὶ εἰσιόντα οὐκ ἄλλο τι ἢ Σωφρόνει, φησίν* (scil. *ὁ θέος*), Protag. p. 345 C *φησὶ γάρ· Τοὔνεκεν ... χθονός· ἐπί θ' ὑμῖν εὑρὼν ἀπαγγελέω, φησίν.* Gorg. p. 484 B *Πίνδαρος ... λέγει ὅτι — οὗτος δὲ δή, φησίν, — λέγει οὕτω πως·* Saepius autem reperitur *φησὶ* vel *ἔφη* illatum medio versui post *λέγει* vel *εἶπε* praecedentia, qui quidem usus pervulgaris est. cf. e. g. leg. VI p. 776 E sq.

Sed semper Plato locum citandum, quem ab oratione pendere voluit, eis formis, quae huic consilio aptae sunt, verbis *λέγειν* vel *φάναι* vel similibus introducit, nusquam ea in hoc genere omittit. Eiusmodi dicendi verborum omissiones saepe occurrunt apud Aristotelem cf. Ethic. Nicom. VI 2, 1139 b_9 *διὸ ὀρθῶς Ἀγάθων* — (sed ibid. VI 4, 1140 a_{19} *καθάπερ καὶ Ἀγάθων φησὶν* —); ibid. VI 9, 1142 a_2 *διὸ Εὐριπίδης* — Art. rhetor. I 7, 1365 a_{24} *ὅθεν καὶ τὸ ἐπίγραμμα τῷ ὀλυμπιονίκῃ* — ibid. II 23, 1400 b_{22} *καὶ ὡς ἡ Εὐριπίδου Ἑκάβη εἰς τὴν Ἀφροδίτην* — *καὶ ὡς Χαιρήμων* — alibi. Permultum est id genus apud Plutarchum maxime in scriptis moralibus; ex vitarum libris cf. Cleom. 9. *Διὸ καὶ καλῶς ὁ εἰπών* —.

Attamen forma librorum Aristoteleorum respicienda est, quippe qui non satis elaborati sint (quod attinet etiam ad Plutarcheos quosdam cf. quae infra dicemus).

Quamquam hic accuratius in horum librorum naturam ac condicionem inquirere a nostra causa aliena est: cf. quae A. Roemer, novissimus rhetoricae editor, in praef. p. XLI sqq. et Vahlenus in programmate (ind. lect. aestiv. Berol. 1903) opusculorum volumini altero inserto p. 473 sqq. statuerunt. Tamen oblata occasione utimur ad stabiliendam sententiam, quam hic vir doctissimus protulit.

Suspicatus enim est (p. 473 sqq.) verba in artis rhetoricae cap. IX lib. III 1409 b_8 hunc in modum tradita: *δεῖ δὲ τὴν περίοδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι, καὶ μὴ διακόπτεσθαι ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα,*

Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα Πελοπίας χθονός·

sana non esse, cum librarii errore verba *καὶ μὴ ὡς Εὐριπίδης* ante versum praetermissa essent (cf. p. 478). Nos plane ad eandem sententiam accedimus. Nam si inspicimus exempla ab Aristotele eadem voce *ἰαμβεῖον* introducta, statim magnam inter illum locum et hos animadvertimus diversitatem: III 10, 1411 a_{19} *καὶ τὸ Ἀναξανδρίδου ἰαμβεῖον ὑπὲρ τῶν θυγατέρων πρὸς τὸν γάμον ἐγχρονιζουσῶν*

ὑπερήμεροί μοι τῶν γάμων αἱ παρθένοι, et 17, $1418^b{}_{27}$ *ποιεῖ γὰρ* (scil. *Ἀρχίλοχος*) *τὸν πατέρα λέγοντα περὶ τῆς θυγατρὸς ἐν τῷ ἰάμβῳ*

χρημάτων δ' ἄελπτον οὐθέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον,

καὶ τὸν Χάρωνα τὸν τέκτονα ἐν τῷ ἰάμβῳ οὗ ἀρχὴ ‚οὔ μοι τὰ Γύγεω'.

Et hic ad testem ipsum Aristotelem provocare possumus, quippe qui satis habuerit adscribere unum versum diserte tamen adiciens singularem *ἰαμβεῖον* atque uno tantum *ἰαμβείῳ* illustratur materia tractanda. Illo autem loco pluralem legimus *ἰαμβεῖα*, sequitur tamen unus versus, quod huic rationi adversatur. His exemplis confirmati hoc dicimus, quae Vahlenus addiderit verba Aristotelis oratione requiri videri neque ad *σφάλμα μνημονικόν* Aristotelis confugere licere, ut ei faciunt, qui versum citatum, quem Euripidis esse satis constat, quasi Sophocleum afferri censent.

Hinc vero lucem afferre possumus Xenoph. Conv. II, 4 ubi codices haec praebent *Ἀλλὰ πόθεν δή; Ὁ μὲν Θέογνις*, sequitur locus Theognideus. Recte quidem Marchantius, novissimus editor, pro *ὁ μὲν* scribendum esse *ὅθεν* coniecit, cum id verbum praecedenti *πόθεν δή* optime responderet, sed erravit ille vir doctissimus *ἔφη* vel similia addenda esse arbitratus [1]), quia secundum exempla, quae modo attulimus, hoc verbo opus non est. Aliter autem intelligendum est Platonis rep. II p. 363 B: *παραπλήσια δὲ καὶ ὁ ἕτερος* — ubi ex eis, quae praecedunt, verbis (*ὥσπερ ὁ γενναῖος Ἡσίοδός τε καὶ Ὅμηρός φασιν, ὁ μὲν —*) *φησί* supplendum esse apparet.

Pro eo, quod Plato locum laudatum suspensum facit a verbo aliquo dicendi, persaepe alia ratione utitur: paren-

1) H. Sauppe *λέγει* addendum esse censuit.

thesin dico. Quod discrimen sit inter id, quod supra tractavimus genus, et hoc, quod modo indicavimus, clare perspicitur eiusmodi locis velut Conv. p. 180 A: *Αἰσχύλος δὲ φλυαρεῖ φάσκων Ἀχιλλέα Πατρόκλου ἐρᾶν, ὃς ἦν καλλίων οὐ μόνον Πατρόκλου ἀλλ' ἅμα καὶ τῶν ἡρώων ἁπάντων, καὶ ἔτι ἀγένειος, ἔπειτα νεώτερος πολύ, ὥς φησιν Ὅμηρος.* cf. Cratyl. p. 392 D sq. [Hipp. mai. p. 289 A].

Etenim parenthesis ita usurpata est a Graecis, ut reliquae orationi *ἀσυνδέτως* interponeretur neque cum ceterorum verborum constructione arte cohaereret: Ea igitur, quae scriptor interponit, nihil aliud indicant nisi haec alicuius verba esse, ac simul significat ille se verbis uti non suis, sed aliunde petitis; id quod adiectis particulis *ὥς, ὥσπερ* sim. patefieri melius potest, quae saepe adduntur, sed etiam omittuntur in simili oratione. De hac re optime disseruit Vahlenus in opusc. acad. I p. 476 sqq., ubi attulit exempla selecta, ut quid moris esset Platoni intellegeretur. Tamen nos quidem putamus maiorem vim habere ea exempla, ubi *ὥς* additur, quam quae ab ipso verbo finito incipiant, cum in illis plus auctoris commemorationi tribui videatur. Quae sententia eo confirmatur, quod semper fere *οἶμαι* nude interpositum et *ὡς ἐγᾦμαι* (vel *ὡς ἐγὼ οἶμαι*), addito pronomine *ἐγώ*, scriptum videmus. Accedit aliud, quo, quid efficiat *ὥς* parenthesi appositum, apte illustratur.

Platonem enim „saepissime *περιττῶς* addere *τὸν σύνδεσμον ‚καί‘*“ iam veteres observaverunt (v. Sengebusch, Diss. Hom. I p. 121 sq.), quae particula frequenter occurrit in parenthesi, qua verba aliena indicantur cf. rep. I p. 331 A *ὡς καὶ Πίνδαρος λέγει.* Sophist. p. 244 E *ὥσπερ καὶ Παρμενίδης λέγει.* — Protag. p. 344 D *ὥσπερ καὶ παρ' ἄλλου ποιητοῦ μαρτυρεῖται τοῦ εἰπόντος.* — In talibus exemplis scriptorem verbis alienis multum gravitatis tribuere cognoscere licet, at, ubi id non valet, velut in potentiali

enuntiato (Phaed. p. 115 A *ἐμὲ δὲ νῦν ἤδη καλεῖ, φαίη ἂν ἀνὴρ τραγικός, ἡ εἱμαρμένη*)[1]) *ὡς* omitti solet.

Omnes, qui huc pertinent, locos enumerare longum est: satis habemus eos tractare, ubi nomen auctoris ab interpolatore aliquo adiectum esse viri docti coniecerunt.

Protag. p. 315 B post *Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα* verba *ἔφη Ὅμηρος* leguntur in codicibus, quae tamen suspecta visa sunt Schleiermachero aliisque, item Men. p. 76 D delevit *ἔφη Πίνδαρος* Hirschigius. Ceterum in versione Schleiermacher huius opinionis nihil patefecit — neque in ipsa versione neque in notis adiectis. Fortasse videbatur trita locutio et paene proverbialis ut Hirschigio similiter illud Pindari. An, quod alicui probabilius fuerit, haeserunt in imperfecto, cum praesens exspectarent?[2]) Neque tunc facile refutantur eis, quae afferemus, exemplis, quia in eis praeteriti exemplum nullum exstat nisi quod adiunctum habeat *ὡς*.

Exempla autem, quae exstant, sunt haec: Gorg. p. 449 A *Ἀγαθόν γε, ὦ Σώκρατες, εἴ δὴ ὅ γε εὔχομαι εἶναι, ὡς ἔφη Ὅμηρος.* Euthyd. p. 304 B: *τὸ δὲ ὕδωρ εὐωνότατον, ἄριστον ὄν, ὡς ἔφη Πίνδαρος* leg. III p. 690 B: *Καὶ πλείστην γε ἐν σύμπασιν τοῖς ζῴοις οὖσαν καί κατὰ φύσιν, ὡς ὁ Θηβαῖος ἔφη ποτὲ Πίνδαρος*[3]). Huc etiam referendum esse censemus Conv. p. 179 B *καὶ ἀτεχνῶς, ὃ ἔφη Ὅμηρος, μένος ἐμπνεῦσαι κτλ.*; aliter intellegentum est Theaet. p. 194 C de quo vide infra.

Praesens autem in eiusmodi enuntiatis adhibetur:

1. *ὡς* addito: Cratyl. p. 392 E; Conv. p. 180 B, leg. I p. 630 C; Gorg. p. 451 E ubi, quo iure Hirschigius verba

---

1) cf. etiam Alcib. I p. 120 B . . . *ἔτι τὴν ἀνδραποδώδη, φαῖεν ἂν αἱ γυναῖκες, τρίχα ἔχοντες* . . . . .

2) Hoc tamen in Hirschigii coniecturam cadere non videtur, quippe qui in Gorg. p. 451 E verba *ὥς φησιν ὁ ποιητὴς τοῦ σκολιοῦ* eiecta velit.

3) cf. etiam Gorg. p. 493 C, *ὡς ἔφη ὁ πρὸς ἐμὲ λέγων.*

ὥς φησιν ὁ ποιητὴς τοῦ σκολιοῦ eiecta voluerit, non intellegimus (cf. proverbium *καθεδεῖται, ὥσπερ φασὶν οἱ παῖδες οἱ σφαιρίζοντες, ὄνος*: Theaet. p. 146 A, et similiter interiecta sunt verba „dies war sein warnungsvolles Wort“ in Schilleri nostri carmine, quod inscribitur „Das verschleierte Bild zu Sais“).

2. *ὥς* omisso Theaet. p. 170 E, Phileb. p. 66 C, leg. II p. 660 E:

Sed leg. I p. 630 B codicum scripturam *ἐν τῷ πολέμῳ, φράζει Τύρταιος*, retinendam esse censemus; etiam liberius interiecit *ὁ Πίνδαρός φησι* Plutarchus „De superstitione“ p. 167 F *κοινὸν ἀνθρώπων τὸ μὴ πάντα διευτυχεῖν·*

‛κεῖνοι γάρ τ' ἄνοσοι καὶ ἀγήραοι
πόνων τ' ἄπειροι, βαρυβόαν
πορθμὸν πεφευγότες 'Αχέροντος',

ὁ Πίνδαρός φησι, τὰ δ' ἀνθρώπινα πάθη κτἑ.

Cui rei adnectimus eam, quae aliquid similitudinis cum eis, quae modo commemoravimus, habet. Pro dicendi enim verbo exempla saepe praepositione *κατὰ* cum accusativo coniuncta afferuntur. Ea cum substantivo personam significante consociata idem valet ac latinum „secundum alicuius hominis dictum sive sententiam“. Exempla autem, quae huc faciunt, sunt haec:

καθ' Ἡσίοδον Prot. p. 340 D.
καθ' Ὅμηρον Conv. p. 174 C, rep. V p. 468 C, leg. I p. 624 A.
κατ' Ἴβυκον Phaedr. p. 242 C.
κατ' Αἴσχυλον rep. II p. 361 B et VIII p. 563 B.
κατὰ Πίνδαρον Phaedr. p. 227 B, rep. II p. 365 C, Theaet. p. 173 E.
κατὰ σὲ καὶ καθ' Ὅμηρον καὶ κατὰ Σιμωνίδην rep. I p. 334 B; cf. Theaet. p. 160 D.
κατὰ τὸ τοῦ Σόλωνος Lach. p. 188 B.

κατὰ τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον Euthyd. p. 291 D.
κατὰ τὸν Ὁμήρου λόγον[1]) Sophist. p. 216 A.

Similiter proverbia allegantur verbis *κατὰ τὴν παροιμίαν* Conv. p. 222 B; Polit. p. 264 B; rep. VIII p. 563 C; Lysid. p. 216 C, leg. IV p. 701 D, V p. 741 D.

Sed una quaedam dicendi ratio commemoranda est, qua Plato nonnumquam utitur; coniungit enim *τὸ* cum auctoris nominis genetivo ita, ut id enuntiatum quasi pro parenthesi orationi interponatur: Theaet. p. 183 E *Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται, τὸ τοῦ Ὁμήρου, αἰδοῖός τέ μοι εἶναι ἅμα δεινός τε.* Cratyl. p. 428 D *καὶ πειρᾶσθαι, τὸ ἐκείνου τοῦ ποιητοῦ, βλέπειν ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω;* Alcib. I p. 121 D *τὸ τοῦ κωμῳδοποιοῦ, οὐδ' οἱ γείτονες σφόδρα τι αἰσθάνονται.* Conv. p. 221 B *ἔπειτα ἔμοιγ' ἐδόκει, ὦ Ἀριστόφανες, τὸ σὸν δὴ τοῦτο, καὶ ἐκεῖ διαπορεύεσθαι ὥσπερ καὶ ἐνθάδε*[2]). — Apolog. p. 34 D verba *καὶ γὰρ τοῦτο αὐτὸ τὸ τοῦ Ὁμήρου*[3]) item accipienda esse censeo; ubi erravit Schanzius illa ab eis, quae sequuntur, secernens; immo, commate post *Ὁμήρου* posito, ut fecit Burnetus, sententia plana est. Sed rep. VIII p. 550 C *οὐκοῦν μετὰ τοῦτο, τὸ τοῦ Αἰσχύλου, λέγωμεν* sic virgulis *τὸ τοῦ Αἰσχύλου* inclusum praebent textum editores, quamquam hic ambiguum est, utrum haec ratio recta sit an ea verba a sequente *λέγωμεν* pendeant velut rep. II p. 362 A *τὸ δὲ τοῦ Αἰσχύλου πολὺ ἦν ἄρα ὀρθότερον λέγειν κατὰ τοῦ ἀδίκου.* cf. Cratyl.

---

1) cf. Aristot. Metaphys. XII 2, 1089 $^{a}_{2}$ de Parmenideo versu: *τῷ Παρμενίδου λόγῳ.*

2) cf. Sophist. p. 233 B *τὸ σὸν δὴ τοῦτο, σχολῇ ποτ' ἂν κτλ.* respicit ad illa p. 232 D *οὐδεὶς γὰρ ἂν αὐτοῖς κτλ.* cf. Sophist. p. 241 D *τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο,* idem Gorg. p. 514 E, Euthyd. p. 307 C. — Dignus, quod notetur, est Aristid. or. 46 p. 405 Dind., ubi Sophocles apostropha, quae vocatur, allegatur: *ἔφης ὦ Σοφόκλεις;* Photius tamen Aristidem excerpens praebet: *ἔφη ὁ Σοφοκλῆς.* Non dissimile est ratio Plat. leg. I p. 629 B sqq., ubi Tyrtaeus apostropha allegatur.

3) Apte conferatur rep. IV p. 441 B: *πρὸς δὲ τούτοις καὶ ὃ ἄνω που ἐκεῖ εἴπομεν, τὸ τοῦ Ὁμήρου μαρτυρήσει, τὸ* — cf. rep. IX p. 573 D *Τὸ τῶν παιζόντων, ἔφη, τοῦτο σὺ καὶ ἐμοὶ ἐρεῖς.*

p. 428 A, C; Gorg. p. 484 E ibid. p. 505 E; Alcib. I p. 113 C; Conv. p. 198 C, rep. VII p. 516 D; de proverbiis Phaedr. p. 272 C *τὸ τοῦ λύκου εἰπεῖν;* Parm. p. 137 A *τὸ τοῦ Ἰβυκείου ἵππου πεπονθέναι*; Phaed. p. 77 D (*τὸ τῶν παίδων*) (sed rep. IV p. 422 E et leg. VI p. 780 C *τὸ τῶν παιζόντων* absolute dicitur = *οἷόν φασιν οἱ παίζοντες*: leg. IV p. 723 E): Haec exempla ad eandem rationem revocari recte videntur, neque vero in eis *τὸ* cum genetivo coniunctum absolute dicitur, sed vel regnat vel pendet illud. Conferre licet illud dicendi genus cum eo, quo in dialogis nihil frequentius est: dico *τὸ λεγόμενον* formulam, qua saepe proverbia inducuntur. Atque a nostra causa hoc non alienum putamus ex Platonis dialogis, quae huc facere videntur, collecta uno conspectu proponere. Proverbia autem, quae hac formula allegantur, exstant Gorg. p. 447 A, 514 E; Phaed. p. 101 D; Theaet. p. 165 B; Soph. p. 252 C; Euthyd. p. 293 D et p. 298 C; Conv. p. 217 E, leg. III p. 689 D et X p. 890 D, rep. IV p. 423 E ibid. VIII p. 569 B; Tim. p. 26 B.

Quaeritur num Plato hoc loquendi genere forte etiam usus sit, ubi poetarum verba in proverbium abierunt.

Quod esse videtur eo, quem modo enumeravimus, loco (rep. VIII p. 569 B sq.), ubi tamen fontem proverbii investigare non possumus. Sed rep. II p. 362 D *οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, τὸ λεγόμενον, ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη· ὥστε καὶ σύ, εἴ τι ὅδε ἐλλείπει, ἐπάμυνε* haustum esse videtur ex Iliad. XXI 308 sq. vel Odyss. XVI 97 sq.[1]). Praeterea rep. VI p. 492 C, *τὸ λεγόμενον, τίνα οἴει καρδίαν ἴσχειν;* ex aliquo poeta petitum esse videtur. At omnes loci eiusmodi sunt, ut primo obtutu nihil proverbii vel formulae vel sententiae

1) cf. Pindari Pyth. V 108 (Schr.).

λεγόμενον ἐρέω·
κρέσσονα μὲν ἁλικίας
νόον φέρβεται
γλῶσσάν τε·

ubi Schroeder recte delegat ad Iliad. *N.* 431 et *Π* 808.

indicent cf. etiam Phaed. p. 66 C *ὥστε τὸ λεγόμενον ὡς ἀληθῶς τῷ ὄντι ὑπ' αὐτοῦ οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίγνεται οὐδέποτε οὐδέν.*

Sed apud alios scriptores res clarior fit velut Plutarch. „De amore prolis" p. 497 B. *τὸ ὑπὸ τοῦ Εὐριπίδου λεγόμενον*[1]) . . . (similiter *τὸ κατὰ τὴν παροιμίαν λεγόμενον*: Plat. Sophist. p. 261 B sq. et Lach. p. 187 B et Plutarch. de garrulitate p. 512 F . . *τὸ κατὰ τὴν παροιμίαν* . . sequitur versus e comico aliquo v. Kock 3 p. 494) et Quaestion. conviv. 2, 7 p. 641 D *τοῦτο τὸ λεγόμενον,* . . sequitur versus tragici alicuius poetae (v. Nauck p. 915) idem *τοῦτο τὸ λεγόμενον* dicitur de loco ex Homero petito ab Aristide: or. I 5 p. 7, 15 (Dind.).

Sed haec hactenus. Quaesiverit quispiam, quosnam poetas Plato allegaverit.

Qua ratione ad aliena verba ablegetur.

In afferendis verbis alienis potest 1. auctor eiusque opus aut poeta tantum nominari, 2. usus potest fieri eorum talis, ut fontis nomine tacito ipsa verba cum Platonicis artissime coniungantur eaque tantum colore quodam afficiantur poetico. Quae cum ita sint, locos ab auctoribus petitos in classes dividere liceat. Inde autem apparebit, quae carmina maxime tum pervulgata fuerint, quoniam et auctor et carmen notum esse debet ut, quo spectet scriptor, intellegatur.

De poetis nominatim allegatis.

Ac primum quidem videmus Platonem, cum verbis alienis utitur pro suis, auctorem nominare. Addit enim philosophus nomen, ne is, qui audiat vel legat, meditari debeat, ex quo locus profectus sit.

1) De sollertia animalium p. 976 F *τὸ ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ λεγόμενον* —; ad horum similitudinem interpretamur Public. 15 *τὸ λεγόμενον Ἐπιχάρμου πρὸς τὸν ἄσωτον* cf. „de garrul. p. 510 C, ubi idem Epicharmi versus citatur, ubi tamen ut illo loco e libro „De amore prolis" petito verba *τὸ λεγόμενον* non absolute adhibentur.

Longe saepissime Homeri[1]) nomen invenimus, quem Plato profitetur praeceptorem esse cum aliarum rerum, tum earum, quae ad vitam usumque cotidianum pertineant (cf. rep. III p. 404 B *καὶ παρ' Ὁμήρου τά γε τοιαῦτα μάθοι ἄν τις,* leg. IV p. 706 D *ἦν δέ που τοῦτό γε καὶ παρ' Ὁμήρου λαβεῖν,* alibi) et cuius carminum pulchritudinem laudibus effert (rep. X p. 607 A Homerum appellat *πρῶτον τῶν τραγῳδοποιῶν* et *ποιητικώτατον* [cf. etiam Theaet. p. 152 E] et ibid. p. 607 C artem *ποιητικὴν καὶ μιμητικὴν* maxime delectationem praebere contendit Plato, *ὅταν δι' Ὁμήρου θεωρῇς αὐτήν*; hoc etiam eo confirmatur, quod plurimis glossis Homericis utitur). Ubi autem ei obtrectat (in prioribus de republica libris) profitetur ipse se invitum Homerum petere, cf. rep. III p. 391 A *ὀκνῶ δέ γε . . δι' Ὅμηρον λέγειν,* rep. X p. 595 B *καίτοι φιλία γέ τίς με καὶ αἰδὼς ἐκ παιδὸς ἔχουσα περὶ Ὁμήρου ἀποκωλύει λέγειν.*

Omnes quos possumus Homericos locos apud Platonem obvios enumerare longum est: satis habemus eos perquirere, ubi nomen Homeri ab interpolatore adiectum esse viri docti coniecerunt. Praeter eum, quem supra (p. 22) tractavimus, locum in dubium vocata sunt verba, quae Prot. p. 348 C exstant: *ἡγοῦμαι γὰρ πάνυ λέγειν τι τὸν Ὅμηρον τὸ* —. Schanzius quidem adnotavit verba *τὸν Ὅμηρον* delenda esse videri. Cuius viri optime de Platone meriti sententiam H. Sauppe secutus est. Hoc Vahlenus refutare studuit (opusc. acad. I p. 477 adn. 19), qui dixit „scitum sane dicendi genus deleto Homero oriri (*ἡγοῦμαι*

1) Hoc vero constat Ammonium Aristarcheum scripsisse opus peculiare de locis a Platone petitis ex Homero, cuius certus titulus designatur schol. I 540: *Ἀμμώνιος ἐν τῷ περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου:* v. Lehrsius „De Aristarchi studiis Homericis" [3] p. 27 adn. 10; Susemihlius histor. litt. graec. Alexandr. aet. vol. II p. 154. De illius sententia dubitavit A. Ludwich. l. c. p. 141 adn. 1. Praeter locos ab hoc allatos cf. etiam Heraclit. all. Hom. c. 18 *ταῦτα ὥσπερ ἐκ πηγῆς τῶν Ὁμηρικῶν ἐπῶν εἰς τοὺς ἰδίους διαλόγους ὁ Πλάτων μετήδρευσεν.*

λέγειν τι τὸ σύν τε δύ' ἐρχομένω), quod Sauppius exemplis uno et altero declaravisset, sed nomini articulum adiectum, qui sua haberet exempla offendere vix posse" [cf. rep. II p. 364 D; Lach. p. 201 B; Lysid. p. 215 C, rep. V p. 466 C, leg. III p. 690 E, sescenties alibi]. Quod Sauppius porro censet *τὸ* subiecti accusativum *λέγειν* regentem esse, nobis quidem *τὸ* accusativus a *λέγειν* pendens esse videtur. Iam circumspiciamus alios Platonis locos, quibus lumen rei dubiae adhibeatur. Neque ullum invenies, qui aptior sit ad explorandam rem quam illum, qui est leg. VII p. 803 E, ubi leguntur haec: . . . *καὶ τὸν ποιητὴν εὖ λέγειν τὸ* —. Eodem modo, quo hic *εὖ*, ibi *πάνυ*, ad quod *τι* referendum est, dicitur. Noli offendere eo, quod *τι* a verbo *πάνυ* seiunctum est; cf. Menon. p. 100 A *σχεδὸν ἄν τι*. Conv. p. 201 E *σχεδὸν γάρ τι*, idem Lach. p. 192 C. Phaed. p. 63 E *σχεδὸν μέν τι*, maxime vero Lysid. p. 204 E *οὐ γὰρ πάνυ, ἔφη, τὶ*. Eis expositis redimus ad id de quo agimus genus.

Multo rarius quam Homeri Plato Hesiodi versus ad orationem exornandam adhibet; tamen saepe verbis Hesiodeis sententiam quandam probat vel ad eius auctoritatem confugit.

Orphei carminum versus adhibentur: Cratyl. p. 402 B; Phileb. p. 66 C, leg. II p. 669 D.

E tragicis nominatim citantur

Aeschylus: Phaed. p. 107 E sq.; Conv. p. 180 A, rep. II p. 361 B, p. 362 A, p. 380 A, p. 383 A, VIII p. 550 C, p. 563 C: in ea priorum reipublicae librorum disputatione, quae poetarum carmina examinat, Homero, principi ac summo poetarum epicorum, Aeschylum opponit, quem pro poetis tragicis in iudicium vocat.

Nonnusquam illustrandae orationis causa Plato Sophoclem respicit (Theaet. p. 191 A; Phaedr. p. 246 E; cf. Sophist. p. 238 A et Nauck frgm. 601); Conv. p. 196 D et Nauck frgm. 235 (v. quae Nauck ad frgm. adesp. 525

adnotavit) Menex. p. 245 D sed nusquam eum nominatim affert (in Phaedro et republica saltem commemoratur). Neque Valckenarii sententiam probamus, qui ad Euripid. Phoen. 1628 de versu rep. VIII p. 568 A exstante, — quem alii ad Sophoclem referunt, Plato Euripidi tribuit — adnotavit (p. 548) non fuisse „ab ingenio philosophi, humana saepe passi, prorsus alienum, Sophoclis versum, ne hunc laudare cogeretur, Euripidi tribuere". Quod iam Boeckhius Graec. trag. princ. p. 123 refutavit, de hac re vide, quae Roemerus in Philologi vol. LXVII (1908) p. 276 sq. protulit. Euripidis versus et sententiae tum in memoria vel potius in ore omnium erant: Gorg. p. 484 E, p. 485 E sq., ibid. p. 492 E; Conv. p. 177 A; Ion. p. 533 D; Theaet. p. 154 D[1]).

E poetis comicis allegantur

Epicharmus[2]), quem Plato principem comoediae esse dicit Theaet. p. 152 E: Gorg. p. 505 E.

---

1) E tragicis poetis Plato principes tantum respexit, ceteros neglexit quia *ῥητορεύειν* videntur (Gorg. p. 502 D: *ἢ οὐ ῥητορεύεν δοκοῦσί σοι οἱ ποιηταὶ ἐν τοῖς θεάτροις;*); horum enim orationibus nimis longis, quae de inanibus rebus essent, fabulam recte compositam opponit, qualis apud Euripidem et Sophoclem inveniatur (Phaedr. p. 268 C). Accedit huc, quod in describenda dialogi forma et tribuendis suis cuique partibus cavendum ei erat, ne quid in ipsa dialogi ratione esset, quod ab illius aetatis more abhorreret; itaque personas nihil dicentes facere ei licebat, quod ab eorum temporibus distaret; id recentiores non semper satis respexerunt. Omnino Plato veteribus poetis favet novosque neglegit. Rectissime vero Wilamowitz „Die Textgeschichte der griech. Lyriker" (Abhandl. d. K. Gesellsch. d. Wissensch. zu Göttingen. Philol. hist. Kl. N. F. IV) p. 14 adn. 3 „Platon war ein Leser, während für die meisten immer noch die zugleich geschaute oder doch unmittelbar auf das Ohr wirkende Poesie in Betracht kam. Daher hat er im Gegensatz zu seiner Zeit den Sophron und den Antimachus gern gehabt, die lebenskräftigen, während ihn Dithyrambus, mittlere Komödie und rhetorische Tragödie, kalt ließen . . . .

2) Epicharmo Platonem plurimum debere tradit Diog. Laert. III 9 Cui rei obstare videtur, quod philosophus rarissime comicum allegavit vel saltem nominavit. Sed simili modo Demosthenes a multis imitator dicitur

Aristophanes: Conv. p. 221 B cf. Apolog. p. 19 C.

Pherecrates: Protag. p. 327 D, ubi eius comoedia, quae *Ἄγριοι* inscribitur, nominatur.

E poetis elegiacis citantur

Tyrtaeus: leg. I p. 629 A, cf. II p. 660 E.

Solo (cf. Tim. p. 21 B): Lach. p. 188 B, 189 A, rep. VIII p. 536 D.

Phocylides [1]): rep. III p. 407 A.

Theognis [1]): Men. p. 95 D sqq., leg. I p. 630 A.

Critias: rep. II p. 368 A [2]), cf. Bergk PLG II⁴ p. 283 sq.

Anacreo et Sappho saltem nominantur Phaedr. p. 235 C.

Ex iambographis Archilochus, quem una cum Homero et Hesiodo praeclarissimum poetam laudat (Ion. p. 531 A), in quibus maxime rhapsodorum studia versentur: rep. II p. 365 C (proverbium).

E poetis melicis allegantur

Stesichorus: Phaedr. p. 243 A; rep. IX p. 586 C.

Ibycus: Phaedr. p. 242 C; Parmen. p. 137 A.

Tynnichus: Ion. p. 534 D [3]).

Cydias: Charm. p. 155 D, cf. Bergk PLG III ^{4} p. 564 sq.

---

fuisse Homeri (cf. e. g. Dionys. Halic. de comp. verb. 24, art. rhet. 10, 19; auctor *περὶ ὕψους* 14, 36) quamquam testimonia de Homero non prodidit, itemque Thucydidem cum Platone inter imitatores Homeri esse tradit auctor *περὶ ὕψους* 14. Dionys. Halic. art. rhet. 11, 2, quamquam pauca ipsis verbis ex Homeri carminibus hausit (nihilominus concedendum est aliam Platonis, aliam Thucydidis esse imitationem Homeri). Accedit huc, quod Epicharmus et Antimachus et Sophro tum paucis noti fuisse videntur.

1) Phocylidem et Theognidem tum Athenis in magno honore fuisse testatur Isocrates ad Nicocl. 43.

2) Hoc uno loco Plato eiusmodi circuitum loquendi adhibet, ut pro poetae nomine *ὁ Γλαύκωνος ἐραστής* scribat.

3) ibi Tynnichi paean commemoratur, atque ita, ut huius poetae pessimi quidem, sed divino spiritu afflati carmen poetae verbis usus *εὕρημά τι Μοισᾶν* appellet.

Quanti Plato Pindarum aestimaverit, inde apparet, quod eius verba saepissime adhibet: Phaedr. 227 B; Theaet. p. 173 E; Menon. p. 76 D; Euthyd. p. 304 B; Gorg. p. 484 B cf. p. 488 B, rep. I p. 331 A, II p. 365 B, leg. III p. 690 B cf. IV p. 714 E: Hoc iam veteres animadverterunt, ut elucet ex Aristid. or. 45 p. 34 Dind. verbis: *ᾧ καὶ Πλάτων αὐτὸς τὰ πλείστου, φασὶν, ἄξια χρῆται.*

Poetarum autem choricorum Plato Simonidem maxime petit. Ita Protag. p. 339 A sqq. disputatur de huius carmine in Scopam filium Creontis Thessali. Cum urbana quadam irrisione eum allegat rep. I p. 331 E (cf. p. 334 B) et rep. II p. 365 C ita citat dictum eius poetae aliquod *τὸ δοκεῖν καὶ τὰν ἀλάθειαν βιᾶται,* ut verbis *ὡς δηλοῦσί μοι οἱ σοφοί* interiectis indicet cognationem quandam inter poetam et sophistas intercedentem.

Sed non modo e poetis, qui proprie hoc nomine appellantur, noster haurit, sed etiam nonnumquam philosophorum poetarum, ne dicam philosophorum omnino, versus adhibet ad aliquam rem demonstrandam. Ex eis, qui philosophiae libros versibus condiderunt, allegatur Parmenides: Soph. p. 237 A, p. 244 E, p. 258 D; Conv. p. 178 B; Theaet. p. 180 D.

Doctrinas autem huius aliorumque saepe respici a nostro inter omnes constat. Hic monendum est Parmenidem et Empedoclem a Platone pro philosophis haberi, quamquam versibus sua composuerunt — poesin enim non in *μέτρῳ,* sed in *μύθῳ* positam esse noster docet rep. II p. 380 C cf. Phaedon. p. 61 B *ἐννοήσας ὅτι τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους ἀλλ' οὐ λόγους* —, sed Epicharmum in poetarum numero, quamvis arte huius poesis cum philosophia cohaereat (cf. Stählin l. l. p. 37).

Auctorum nomina quibusdam rebus amplificantur.

Saepe vero Plato non nude nomen auctoris ponit, sed epitheta poetis allegatis adicit, quae ad orationem ex-

ornandam et amplificandam quam plurimum conferunt, quamquam multa eorum ita comparata sunt, ut non ornatui inserviant, sed ad significandam ironiam quandam, ut in dialogis saepenumero fit. Multis autem locis difficile est, quid Plato serio, quid iocose vel ironice dixerit, diiudicare et nobis cum Callicle Socraticam rationem philosophandi prorsus despiciente quaerendum est (Gorg. p. 481 B): *Εἰπέ μοι, ὦ Χαιρεφῶν, σπουδάζει ταῦτα Σωκράτης ἢ παίζει;* [1]).

Ac primum quidem poetis, maxime Homero, epitheton *θεῖος* attribuitur (= praestans, divina mente incitatus cf. Phaedr. p. 245 A, leg. III p. 682 A). Exempla autem sunt haec: Phaedon. p. 94 E (post locum citatum), Menon. p. 81 B, leg. I p. 629 B, cf. Ion. p. 540 B. „*σοφός*“ dicitur de Homero leg. VI p. 776 E, ubi serio Homerus laudari perperam negat Sengebuschius l. l. p. 119 (cf. quae attulit eiusdem generis exempla); de Pindaro leg. III p. 690 C; de Hesiodo leg. IV p. 718 E; de Solone Tim. p. 20 D, cf. de Cydia Phaedr. p. 235 B sq.; ironice de Archilocho rep. II p. 365 C, ubi eum cum Simonide componit; hunc urbane irridet rep. I p. 331 E *Ἀλλὰ μέντοι Σιμωνίδῃ γε οὐ ῥᾴδιον ἀπιστεῖν· σοφὸς γὰρ καὶ θεῖος ἀνήρ* (cf. p. 332 B *ᾐνίξατο Σ. ποιητικῶς τὸ δίκαιον ὃ εἴη*).

Certe autem non sine ironia quadam dicuntur ea epitheta, quae *πᾶν* verbum continent velut *πάσσοφος* [2]): Theaet. p. 194 E, ubi v. schol. cf. Protag. p. 315 E ibidemque, quod Sauppius adnotavit; item alludit noster rep. II p. 363 A *ὥσπερ ὁ γενναῖος Ἡσίοδός τε καὶ Ὅμηρός φασιν.*

Nonnumquam nomini poetae patria additur velut Ion. p. 534 D: *Τύννιχος ὁ Χαλκιδεύς*, sed certa quadam causa commotus noster *ὁ Χαλκιδεύς* intexit, quod is poeta, *ὃς*

1) Qua de re fatetur noster Goethius (vol. VII p. 559, Stuttgart 1874): „Gewiß, wer uns auseinandersetzte, was Männer, wie Plato im Ernst, Scherz oder Halbscherz, was sie aus Überzeugung oder nur diskursive gesagt haben, würde uns einen außerordentlichen Dienst erzeigen.“

2) Vide quae O. Apelt in Novis Annalibus vol. XIX (1907) p. 252 adnotavit (2).

ἄλλο μὲν οὐδὲν πώποτε ἐποίησε ποίημα ὅτου τις ἂν ἀξιώσειεν μνησθῆναι, satis ignotus erat et hic tantum commemoratur (cf. J. Bernays „Theophrast" p. 72) [vide p. 30 adn. 3]. Aliter res sese habet Phaedr. p. 244 A *ὡς ὁ μὲν πρότερος ἦν λόγος Φαίδρου τοῦ Πυθοκλέους*[1]), *Μυρρινουσίου ἀνδρός. ὃν δὲ μέλλω λέγειν, Στησιχόρου τοῦ Εὐφήμου, Ἱμεραίου,* ubi non verborum lusus statuendus est, quem voluit Astius (ad h. l.), sed orationis quaedam elatio atque altitudo agnoscenda est.

Sed quomodo res sese habet in legum libris? Ibi enim (III p. 690 B) legitur *ὡς ὁ Θηβαῖος ἔφη ποτὲ Πίνδαρος.* Sed haec non videntur ullius momenti esse, nisi in causas simul inquiritur. Itali quidem dicunt „l'Astigiano" et intellegunt Alfierium; quae consuetudo ne a Graecis quidem aliena erat cf. Athenaeus de Epicharmo 8, 362 D *ὁ Συρακόσιος ποιητής* vel 15, 698 C tantum *ὁ Συρακόσιος*; 1, 32 C *ὁ Κεῖος ποιητής* (de Simonide); 6, 248 C *ὁ Θηβαῖος ποιητής* (de Pindaro); *ὁ Θηβαῖος*[2]) Plutarch, de tuenda sanit. praec. p. 125 E idem Lycurg. 21 Terpandro et Pindaro allegatis pergit sic — *ὡς ὁ Λακωνικὸς ποιητὴς εἴρηκε,* Alcmana intellegens cf. de Alex. fort. et virt. II p. 335 A (Bergk III[4] p. 51). His exemplis adiungantur Pausanias 10, 26, 9 *ὁ Ἱμεραῖος,* Lucian. pro imag. 15 *ὁ Ἱμεραῖος ποιητής.* Et Pindarus patriam Homeri et Chium et Smyrnam dixisse narratur vit. Pseudopl. 2, 2 *Ὅμηρον τοίνυν Πίνδαρος μὲν ἔφη Χῖόν τε καὶ Σμυρναῖον γενέσθαι· Σιμωνίδης, δὲ Χῖον* [frg. 85] (Sengebusch l. l. p. 166).

---

1) alias *ὁ* cum nomine patris nude positum ostentationis est velut Lucian. Lexiphan. 1. *ὁ Ἀρίστωνος* pro *Πλάτων*; de ea re cf. Brinkmann, qui mus. rhen. vol. 64 (1909) p. 638 sq. breviter posterioris aetatis consuetudinem citandi adumbravit.

2) Sed Demades fr. 1, 12 (Or. Att. Turic.) *ἀπέκειρε — ὁ Θηβαῖος* Epaminondas intellegitur cf. Wernsdorf ad Himer. or. 23, 7 et Aristid. 49 p. 686 (Dind. p. 541) et Pausan. IX 15, 6.

Hic dum Platonicam potissimum consuetudinem scribendi sequimur et indagamus, quaeritur num *Πίνδαρος* an *Θηβαῖος* delendum sit[1]). Hic omnia pendent ab usu: Nos non dicimus „der Frankfurter Goethe, der Ostpreuße Herder, der Schwabe Schiller vel Schiller der Marbacher" nisi causa quadam certa adducti; fortasse id cadit in legum locum, de quo agere constituimus; temptemus igitur, ecquid argumentando conficere possimus.

In legibus enim qui loquuntur, ut diversi sunt civitatibus, ita diversas sequuntur de rebus publicis ornandis sententias. Tria autem exempla, in quibus haeremus, ex uno eodemque opere sumpta sunt. Accedunt enim leg. I p. 629 A *προστησώμεθα γοῦν Τύρταιον, τὸν φύσει μὲν Ἀθηναῖον, τῶν δὲ* (scil. *τῶν Λακεδαιμονίων*) *πολίτην γενόμενον*[2]) *κτλ.*, cui quasi *ἐκ παραλλήλου* p. 630 A *ποιητὴν δὲ καὶ ἡμεῖς μάρτυρ' ἔχομεν, Θέογνιν, πολίτην τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγαρέων* opponit Plato. Adhuc attendendum est legum scenam in Creta constitutam esse, cum reliqui dialogi Athenis habeantur. Et Clinias ipse fatetur: *οὐ γὰρ σφόδρα χρώμεθα οἱ Κρῆτες τοῖς ξενικοῖς ποιήμασιν* (leg. III p. 680 C): unde fit, ut Plato vel potius Atheniensis ille Pindarum paulo post commemorans patriae nomen sibi addendum esse putet; alii enim poetae praeter Homerum et Hesiodum, Tyrtaeum et Theognidem in legibus non allegantur. Atque illis verbis *ὁ Θηβαῖος* aliquam vim inesse iudicatur verborum ordine cf. Protag. p. 316 D *Ἴκκος ὁ Ταραντῖνος*, at leg. VIII p. 839 E *ὁ Ταραντῖνος Ἴκκος*.

Itaque sic rationem concludimus, quod simplicissimum erat, id etiam verissimum habendum esse verbaque *ὁ Θηβαῖος* egregie ad Platonis mentem facere videri.

---

1) cf. [Aeschin.] ep. IV_3 *καὶ ὅτι Πινδάρου τοῦ Θηβαίου τὸ ἔπος τοῦτό ἐστι; κτἑ* ubi tamen unus codex verba *τοῦ Θηβαίου* omittit, sed ibi antea *ὁ μέγας Π.* et *ὁ Πίνδαρος* legitur.

2) Similiter Protag. p. 316 E *Ἡρόδικος ὁ Σηλυμβριανός, τὸ δὲ ἀρχαῖον Μεγαρεύς* cf. etiam Menon. p. 70 B *οἱ τοῦ σοῦ ἑταίρου Ἀριστίππου πολῖται Λαρισαῖοι.*

De voce *ὁ ποιητής*, qua versus afferuntur.

Deinde philosophus ita citat, ut tantum significet locum laudatum ex aliquo poeta petitum esse: auctoris quidem nomen omittit, sed a nescio cuius auctoritate adminiculi quiddam sententiae addi vult.

Itaque nonnumquam simplici verbo *ὁ ποιητής* utitur: intelligitur plerumque Homerus, quem constat ita nominari solere, veluti Gorg. p. 485 D, leg. VII p. 803 E sq., rep. III p. 393 A (hic e contextu id apparet). Nimirum *ὁ ποιητὴς* est notus poeta, id quod fieri potest et propter famam late vagam et quia contextu orationis satis designatur; ceterum posteriore aetate *ὁ ποιητής* sane Homerus est ut *ὁ ῥήτωρ* Demosthenes et *ὁ φιλόσοφος* Plato.

Hac igitur appellatione quivis poeta nuncupari potest. Ea enim dicendi ratio prorsus respondet nostrae, qua utimur „wie der Dichter sagt“. Neque apud Aristotelem *ὁ ποιητής* neminem alium nisi Homerum significare refutatur eiusmodi locis: polit. I 13 p. 1260 a_{28}, ubi *ὁ ποιητὴς* est Sophocles in Aiace v. 293 et in Nicom. ethic. VII 15 p. 1154 b_{28}: *μεταβολὴ δὲ πάντων γλυκύτατον, κατὰ τὸν ποιητήν, διὰ πονηρίαν τινά,* quem locum Aristoteles ex Euripidis Oreste (v. 234) petivit; rhet. I 11 p. 1371 b_{31} Spengelius rectissime ex uno codice *καὶ ὁ ποιητὴς* recepit pro *Εὐριπίδης,* quod complures codices praebent. Item Hesiodum *ὁ ποιητής* nominari Bonitzius in indice p. 609^{b} adnotavit. Sed revertimur ad nostrum. Hac voce minime eum poetam solum *κατ' ἐξοχὴν* significare inde apparet, quod Hesiodum, auctorem versuum leg. X p. 901 A laudatorum, eodem modo notat.

Ut in libro tertio reipublicae contextu orationis Homerus designatur itemque Cratyl. p. 428 D *(τὸ ἐκείνου τοῦ ποιητοῦ),* ita leg. II p. 660 E Tyrtaeus, ubi huius poetae verba Atheniensis Cliniae et Megillo in memoriam revocat, a quibus Plato in libro primo p. 629 A Atheniensem

incipientem facit: *προστησώμεθα γοῦν Τύρταιον.* Item Prot. p. 339 B *εἰ ἐναντία λέγει αὐτὸς αὑτῷ ὁ ποιητής* clare intellegitur Simonides cf. ibid. p. 339 E, p. 340 E. At Menon. p. 77 B, *καθάπερ ὁ ποιητὴς λέγει, χαίρειν τε καλοῖσι καὶ δύνασθαι,* non constat, cuius poetae ea verba sint (v. Bergk PLG III⁴ p. 729 nr. 130).

A falsa sententia profectus Wohlrabius putavit Platonem verbis *τὸν ποιητὴν* semper Homerum significare. Hac re deceptus Euthyphr. p. 12 A Homero non nominato philosophum etiam aliud carmen praeter Iliadem et Odysseam ad poetam illum nobilissimum referre existimavit. Quod ita non se habere optime explanavit Th. Heine l. l. p. 16 sq.

Ut eo, quem modo commemoravimus, loco verba *ὁ ποιητὴς ὁ ποιήσας* — ibi nimirum accedit *ὁ ποιήσας*[1]), non simplex ponitur *ὁ ποιητής* — disiungi non debent, sed ea verba cuncta unam notionem exhibent et poetam quendam allegant, ita etiam in hisce: Lysid. p. 212 E *ἀλλὰ ψεύδεθ' ὁ ποιητής, ὅς ἔφη* —, ubi Soloni obtrectat noster, et Prot. p. 344 D *καὶ παρ' ἄλλου ποιητοῦ μαρτυρεῖται τοῦ εἰπόντος* — eundem anonymi versum affert Xen. Mem. I 2, 20 simili modo: *μαρτυρεῖ δὲ καὶ τῶν ποιητῶν ὅ τε λέγων — καὶ ὁ λέγων* — cf. Lucian. Pro imaginibus 26 Homero commemorato *ἕτερος δέ τις ἰοβλέφαρον τὴν Ἀφροδίτην εἶπε* [ad eandem rem delegatur Imaginum 8 verbis *ὁ Θηβαῖος ποιητής* (Pindar. frg. 307)], Plutarch. De virt. mor. p. 445 F.

Simili ratione conformata sunt haec: Gorg. p. 451 E *ὁ ποιητὴς τοῦ σκολιοῦ,* deinceps p. 452 A *ὁ τὸ σκόλιον ποιή-*

---

1) idem valet atque ea, quae Arist. art. poet. 23 dicit: *οἷον ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας.* Item atque ille Plato indicare videtur auctorem ignorari (Bergk hist. graec. litt. II 45 adn. 45) et de Cypriorum origine similiter iudicasse atque Herodotus (II 117). Praeter Euthyphronis locum Cypria respiciuntur rep. II p. 379 E *οὐδὲ θεῶν ἔριν τε καὶ κρίσιν διὰ Θέμιτός τε καὶ Διὸς* cf. Wilamowitzius Quaest. Homeric. p. 367 adn. 46.

σας (Lucian. De lapsu inter salutand. 6 *ὁ τὸ σκόλιον γράψας*) idem scolium Anaxandrides comicus eodem modo affert (frg. 17 Kock II p. 142): *ὁ τὸ σκόλιον εὑρὼν ἐκεῖνος, ὅστις ἦν.* Huius popularis cantilenae auctorem ignoratum esse Plato et Anaxandrides testantur eique errabant, qui eam ad Simonidem vel ad Epicharmum referebant, quippe qui id scolium in carminibus adhibuissent, cf. Bergk PLG III[4] p. 521 et p. 645, Reitzenstein „epigr. et scol." p. 17.

Quibus cum exemplis cognatione quadam coniunguntur eiusmodi, velut Alc. I p. 121 D: *τὸ τοῦ κωμῳδοποιοῦ,* —, similiter Plutarchus „De Pythiae oraculis" p. 395 D — *κατὰ τὸν κωμικόν,* „De capienda ex inimicis utilitate" p. 88 D *τὸ τοῦ τραγῳδοῦ* — cf. De fraterno amore p. 483 F *ὥσπερ ἐκ τραγικῆς τινος κατάρας* — [1]).

Simili ratione conformata sunt haec: Theaet. p. 155 D *καὶ ἔοικεν ὁ τὴν Ἶριν Θαύμαντος ἔκγονον φήσας κτλ.* leg. VII p. 818 B . . . *ἔοικεν ὁ τὸν θεὸν πρῶτον παροιμιασάμενος εἰς ταῦτα ἀποβλέψας εἰπεῖν.* [Plutarchus] de consolat. ad Apollon. p. 106 C . . . *καὶ ὁ εἰπών* — p. 108 E . . . *οὐδ' ὁ εἰπών* — de virtute morali p. 446 A *οὐχ ἧττον δὲ τούτων ὁ εἰπών* — Cleom. 9. Aristid. or. 3. p. 43 Dind. *ὡς ἔφη ὁ τοῦτο εἰπών* (intellegitur Homerus).

---

1) Huc etiam referendum est rep. III p. 413 B, ubi verbis *τραγικῶς κινδυνεύω λέγειν* indicatur aliquid e tragicorum dicendi genere haustum esse: rem autem in eo esse patet, quod Plato ibi verbo *κλέπτομαι* significationem tribuit, qua Sophocles solus usus est cf. Gleisberg „De vocabulis tragicis quae apud Platonem inveniuntur". Diss. Vratisl. 1909 p. 60 sq., quamquam concedendum est vocem *τραγικῶς* latius patere, quippe qua rep. VIII p. 545 D sq. Homerus, *πρῶτος τῶν τραγῳδοποιῶν* (rep. X p. 607 A cf. Theaet. p. 152 E) respiciatur. Accuratius Phaed. p. 95 B philosophus dicit: *ἡμεῖς δὲ Ὁμηρικῶς ἐγγὺς ἰόντες,* Aristoteles ethic. Nicom. X 10 p. $1180^a{}_{27}$ *καὶ ζῇ ἕκαστος ὡς βούλεται, Κυκλωπικῶς θεμιστεύων παίδων ἠδ' ἀλόχου,* Plutarch. de vitioso pudore p. 529 D *ἀλλ' ἡμῖν χρῆσθαι τοῖς ὀνόμασιν ἀσυκοφαντήτως δότωσαν, μᾶλλον δ' Ὁμηρικῶς. καὶ γὰρ ἐκεῖνος εἶπεν* — (*ἐκεῖνος* dicitur, quasi praecederet *καθ' Ὅμηρον* vel simile aliquid cf. p. 38 adn.).

Etiam brevius locus citatur verbo *τὶς* indicatus, velut Plutarch. De virtute et vitio p. 100 F — *φησί τις,* ad Hebr. 2, 6 *διεμαρτύρατο δέ που τις* (e psalmate 8, 5). Hac voce de poetis Plato non utitur (rep. III p. 390 A enim verbis *καὶ ὅσα ἄλλα τις ἐν λόγῳ ἢ ἐν ποιήσει εἴρηκε νεανιεύματα ἰδιωτῶν εἰς ἄρχοντας* certum quendam non intellegit), sed de philosophis cf. Cratyl. p. 413 B *ὁ μὲν γάρ τίς φησιν τοῦτο εἶναι τὸ δίκαιον, τὸν ἥλιον* (cf. A. J. af. Sillén „Platonis de antiquissima philosophia testimonia", Upsalae 1880 p. 35), ad Phaed. p. 96 B, *ὥς τινες ἔλεγον* cf. quae Wohlrabius adnotavit [1]).

De eis locis, ubi ad complures poetas delegatur.

Tertio loco ei loci commemorandi sunt, ubi duo vel complures poetae in unum locum laudatum quasi comprehenduntur, non solum huiusmodi nominibus, velut *Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος* et similia, sed etiam verbis nudis *οἱ ποιηταί* (Eundem citandi modum adhibet apud Romanos e. g. Varro, qui verbis „poetae" et similibus Ennium respicit. v. Vahleni Ennian. poes. rell.[2] p. XXXII, cf. etiam, quae infra de verbo *φασὶ* locum inducente monebimus). Huc nimirum non faciunt ei loci, ubi *οἱ ποιηταί* vulgo de poetarum sententiis dicitur: Ion. p. 534 A; Conv. p. 186 E, rep. III p. 414 C; Phaedon. p. 65 B, ubi tamen vide, quae Olympiodorus adnotavit.

---

1) Adnotare liceat exempla ex Homero petita nonnumquam ita afferri, ut simpliciter verbum *εἰπεῖν* ponatur subiecto, quod vocatur, nulla re indicatur, velut Aristot. rhet. III 3 p. 1406 $^{b}{}_{21}$ *ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα* —, ubi non *τὶς* supplendum est, sed *Ὅμηρος* vel *ὁ ποιητής* (quod verbum tamen non excidit, ut suspicatus est Roemer ad hunc locum, cf. etiam Ludwich. l. l. p. 107 ad *Υ* 164). Simile aliquid occurrit apud Plutarchum „Quomod. adulesc. poetas audire debeat" p. 22 BC, ubi Homeri exempla (*δ* 197 sq. et *Ω* 525 sq.) verbis *ἐν τοῖς ποιήμασι* indicantur, sed post eos versus pergitur *οὐ γὰρ ἁπλῶς εἶπε,* velut si praecederet *ὁ ποιητής.* cf. p. 37 adn. 1 sub fine.

At rep. I p. 328 E . . . *ἐνταῦθα ἤδη εἶ τῆς ἡλικίας, ὃ δὴ "ἐπὶ γήραος οὐδῷ" φασιν εἶναι οἱ ποιηταί,* Homerus intelligitur (cf. Iliad. XXII, 60, XXIV, 487 et Odyss. XV 246 et 348;

Lysid. p. 214 A *λέγουσι* (scil. *οἱ ποιηταί*) *δέ πως ταῦτα, ὡς ἐγῷμαι, ὡδί* — sequitur dictum Homeri, quod proverbii vim habet; idem Gorg. p. 510 B sic respicitur: *φίλος μοι δοκεῖ ἕκαστος ἑκάστῳ εἶναι ὡς οἷόν τε μάλιστα, ὅνπερ οἱ παλαιοί τε καὶ σοφοὶ λέγουσιν, ὁ ὅμοιος τῷ ὁμοίῳ.*

Similiter dicitur de dicto Simonidis rep. II p. 365 C . . *ἐπειδὴ τὸ δοκεῖν, ὡς δηλοῦσί μοι οἱ σοφοί, καὶ τὰν ἀλάθειαν βιᾶται* cf. [Lucian.] Amator. 48 *ὄλβιος γὰρ ὡς ἀληθῶς κατὰ τὴν τῶν σοφῶν ἀπόφασιν* — sequuntur versus e Solone petiti. Ac rep. II p. 364 CD Hesiodus et Homerus sic allegantur: *τούτοις δὲ πᾶσιν τοῖς λόγοις μάρτυρας ποιητὰς ἐπάγονται,* citatur deinde Hesiodus, sed Homerico exemplo nomen poetae additur.

Neque ab aliis hic usus alienus est:

Lycurgus quidem adv. Leocratem 92 haec praebet: *καί μοι δοκοῦσι τῶν ἀρχαίων τινὲς ποιητῶν ὥσπερ χρησμοὺς γράψαντες τοῖς ἐπιγενομένοις τάδε τὰ ἰαμβεῖα καταλιπεῖν·* sequuntur versus tragici alicuius (v. Nauck frg. adesp. 296) de Thucydide cf. Seippelius l. l. p. 3 et Sengebusch p. 139.

Plutarch. „de gloria Atheniensium" p. 348 E *ἔνθεν μὲν δὴ προσίτωσαν ὑπ' αὐλοῖς καὶ λύραις ποιηταὶ λέγοντες καὶ ᾄδοντες* — sequuntur versus Aristoph. Ran. 356 sqq. cf. Pericl. 7, 5 . . *οἱ κωμῳδοποιοὶ λέγουσι* . . . — versus, qui deinceps sequerentur, suspicatus est Siefert-Blass (ad h. l.) Telesclidis esse comparatis 3, 3 et 16, 1 eiusdem libri et schol. ad Aristid. or. 13 p. 150 Dind. (ad. 91, 9) *ὥσπερ οὓς πατέρας πατέρων καλοῦσιν οἱ ποιηταὶ* adnotavit: *ἴσως δ' ἂν εἴη οὗτος ὁ λόγος τινὸς ποιητοῦ, εἰ καὶ πληθυντικῶς οὗτος εἴρηκε.*

Ad similem rationem revocari possunt ea, quae leguntur Parmenid. p. 128 A *σὺ μὲν γὰρ* (scil. *ὦ Παρμενίδη*) *ἐν τοῖς ποιήμασιν ἓν φῂς εἶναι τὸ πᾶν*, et leg. I p. 629 D *εἴρηκας* (scil. *ὦ Τύρταιε* B) *γοῦν ὧδε ἐν τοῖς ποιήμασιν*[1]), *ὡς* .. citatur tamen ex uno carmine, ibidemque p. 629 B *ταῦτα γὰρ ἀκήκοάς που καὶ σὺ τὰ ποιήματα*, et leg. VI p. 753 E *ἀρχὴ γὰρ λέγεται μὲν ἥμισυ παντὸς ἐν ταῖς παροιμίαις ἔργον*, ubi tamen proverbia *ἀρχὴ ἥμισυ παντός* et *ἀρχὴ δήπου παντὸς ἔργου χαλεπώτερόν ἐστιν* contaminata esse suspicari licet.

Ubi autem in eiusmodi enuntiatis poetarum nomina adduntur, Plato semper unum quendam allegat, maxime Homerum.

Exempla autem sunt haec:

Menon. p. 81 B *λέγει δὲ καὶ Πίνδαρος καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ποιητῶν, ὅσοι θεῖοί εἰσιν. ἃ δὲ λέγουσι ταυτί ἐστιν*, sequitur argumentum, deinceps versus, quos a Pindaro compositos esse e conexu rerum verisimile est[2]) (frg. 133 Schr. p. 444). Theaet. p. 152 E[3]) *καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος, ὃς εἰπών* — .. citatur Homeri versus Il. 14, 201, qui idem Cratyl. p. 402 B exstat; rep. III p. 388 A—D *Πάλιν δὴ Ὁμήρου τε δεησόμεθα καὶ τῶν ἄλλων ποιητῶν μὴ ποιεῖν κτέ* exempla autem, quae sequuntur, cuncta Homerica sunt; Phaedon. p. 112 A *τοῦτο, ὅπερ Ὅμηρος εἶπε, λέγων αὐτὸ — ὃ καὶ ἄλλοθι ἐκεῖνος καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ποιητῶν Τάρταρον κεκλήκασιν.* Maxime vero dignus, qui afferatur, est hic locus rep. II p. 381 D *Μηδεὶς ἄρα* ..., *λεγέτω ἡμῖν τῶν ποιητῶν, ὡς* — (citantur versus Homeri

1) cf. Plutarch, Solon. 14; ibid. 30 et 26; Alcib. 33.

2) Similiter epistula I, quae fertur Platonis, p. 310 A, de quo loco cf. Nauck, frgm. adesp. 347.

3) cf. ibidem p. 180 D E ... *ἄλλοι αὖ τἀναντία τούτοις ἀπεφήναντο*, sequitur Parmenideus versus, *καὶ ἄλλα ὅσα Μέλισσοί τε καὶ Παρμενίδαι ἐναντιούμενοι πᾶσι τούτοις διισχυρίζονται, κτέ.*

Odyss. XVII 485 sq.). *μηδὲ Πρωτέως καὶ Θέτιδος καταψευδέσθω μηδείς, μηδ' ἐν τραγῳδίαις*[1]) *μηδ' ἐν τοῖς ἄλλοις ποιήμασιν εἰσαγέτω Ἥραν ἠλλοιωμένην, ὡς ἱέρειαν ἀγείρουσαν* — (Aeschyli versus v. Nauck frgm. 168). *καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλὰ μὴ ἡμῖν ψευδέσθων* (cf. rep. III p. 390 A post locum allatum *καὶ τὰ τούτων ἑξῆς ἆρα καλῶς, καὶ ὅσα ἄλλα τις ἐν λόγῳ ἢ ἐν ποιήσει εἴρηκε νεανιεύματα ἰδιωτῶν εἰς ἄρχοντας;*): hic Homerus, quem pro epicis, et Aeschylus, quem pro tragicis in iudicium vocat, a philosopho allegantur simulque in alia eiusdem generis exempla lectores ablegantur.

Quae cum ita sint, errare censeo eos, qui rep. II p. 379 E *οὐδ' ὡς ταμίας ἡμῖν Ζεὺς ἀγαθῶν τε κακῶν τε τέτυκται* Platonem non ex Homero, sed ex alio poeta hausisse putant, cui sententiae etiam A. Ludwich l. l. p. 83 ad *Δ* 84 favere videtur. Schneiderus quidem ad hunc locum adnotavit eum esse nunc vel deperditum aliquem Homeri versum vel id, quod superiora illa *οὔτ' ἄλλου ποιητοῦ* magis commendarent, ab alio poeta factum Socratem respexisse videri. Hoc vero non ita sese habere e rerum conexu apparet. Ea enim verba cum eis, quae praecedunt, versibus ita coniunguntur, ut nullius alterius nisi Homeri sint. Neque quidquam valent verba *οὔτε ἄλλου ποιητοῦ* iuxta *οὔτε Ὁμήρου* intexta. Schneideri enim rationi obstant eiusmodi loci, velut Menon. p. 81 B (vide supra p. 40) rep. II p. 381 D v. supra (*μηδ' ἐν τραγῳδίαις μηδ' ἐν τοῖς ἄλλοις ποιήμασιν,* ubi Aeschylus tantum citatur) rep. III p. 386 C sqq. ex Homero solo versus afferuntur, tamen legitur p. 387 B *ταῦτα καὶ τοιαῦτα πάντα παραιτησόμεθα Ὅμηρόν τε καὶ τοὺς ἄλλους ποιητὰς κτλ.* Item res se habet rep. III p. 388 A ante locum allatum cf. etiam

1) de rep. VII p. 522 D: *παγγέλοιον οὖν, ἔφην, στρατηγὸν Ἀγαμέμνονα ἐν ταῖς τραγῳδίαις Παλαμήδης ἑκάστοτε ἀποφαίνει* vide Nauck, fragm. adesp. 470.

ad rem illustrandam rep. X p. 605 C *ἀκροώμενοι Ὁμήρου ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τραγῳδοποιῶν μιμουμένου*[1]).

Ubi tamen complures poetae citantur, id ea ratione fit, ut in priore parte sententia non ipsis verbis reddatur, in altero tamen auctore allegato id inveniamus.

Cui rationi non obstat, quod rep. II p. 364 CD ubi et Hesiodus et Homerus ipsis verbis allegantur atque ob eam rem, quod duarum quasi partium (*οἳ μὲν — οἳ δὲ*) sententiae duorum poetarum versibus confirmantur. Sin autem in prioris loci paraphrasi poetae verba postea ipsa occurrunt, *φησὶ* voce interiecta ea afferuntur eodem modo atque Hipp. min. p. 370 B *ὀλίγον ὕστερον λέγει, ὡς οὔτ' ἀναπεισθείη ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως τε καὶ τοῦ Ἀγαμέμνονος οὔτε μένοι τὸ παράπαν ἐν τῇ Τροίᾳ, ἀλλ'*

αὔριον ἱρὰ Διὶ ῥέξας, φησί, καὶ πᾶσι θεοῖσιν κτλ., quem locum adscripsimus, ut intellegatur *φησί* interiecto locum accurate laudari, cum in priore parte a *λέγει* verbo orationis indirectae formam pendentem videamus. Alia eiusdem generis exempla exstant Cratyl. p. 391 E; Menon. p. 95 E; Ion. p. 537 A; Gorg. p. 484 B; Apolog. p. 28 C (ubi verba *αὐτίκα γάρ τοι, φησί, μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος* accurate laudata Thetidis orationi quasi *παρενθέτως* interponuntur velut in eadem ratione rep. III p. 391 B), luculentum exemplum exstat leg. IV p. 718 E. Ab hac regula eos locos excipiendos esse consentaneum est, qui poetarum verba ita continent, ut vix ea a ceteris discernere possimus cf. leg. I p. 629 E (cf. quomodo eadem Tyrtaei verba orationi leg. II p. 660 E sq. inseruntur), item Gorg. p. 484 E, rep. III p. 389 D, cf. Conv. p. 196 E; alibi, de qua re vide quae infra monebimus, et Men. p. 81 B

---

1) Nimirum aliter intelligendum est Protag. p. 344 D, ubi alterius testimonium expresse indicatur: *καὶ παρ' ἄλλου ποιητοῦ μαρτυρεῖται τοῦ εἰπόντος* — v. supra p. 36.

Pindari verba satis apte inducuntur particula *γὰρ*, quae ad eam rem aptissima est (cf. Conv. p. 177 A, 183 B, Prot. p. 340 D, rep. X p. 607 B [v. Bergk PLG III p. 731]; Theaet. 154 D, in proverbio leg. VI p. 754 C).

At Alcibiad. II p. 147 C sq., ubi leguntur haec: *ἐκεῖνος* (scil. *Ὅμηρος*) *γάρ ἐστιν ὁ λέγων τὸν Μαργίτην πολλὰ μὲν ἐπίστασθαι, κακῶς δέ, φησί, πάντα ἤπιστατο* (sic Schanzius, Burnetus auctore Bekkero ediderunt, sed codices B T *ἐπίστασθαι* praebent) Bekkerus quasi inscius Platonicam rationem sequi videtur; sed scriptura *ἠπίστατο* eum virum doctissimum auctorem huius dialogi, quem Platonem esse ne credatur, omnes fere viri docti dissuadent[1]), correxisse suspicari licet deceptum vel Platonis dicendi genere, cum putaret *φησὶ* forma interiecta semper locum oratione directa laudari, vel eis, quae ibidem p. 147 B leguntur . . . *λέγει* . . . *ὡς ἄρα πολλὰ μὲν ἠπίστατο ἔργα, κακῶς δέ, φησίν, ἠπίστατο πάντα,* ubi tamen verba *ἠπίστατο πάντα* ab *ὡς ἄρα* pendere elucet, quod non cadit in illum locum, ubi acc. c. inf. a *λέγειν* pendens ad totum enuntiatum valet.

Sed revertamur ad nostrum. Monuimus enim supra p. 42 Platonem, ubi complures poetas allegaret, eam adhibere rationem, ut alterius poetae ipsa verba citentur, sed alterius verba paraphrasi reddantur, adiecto tamen *φησί,* si ea transeant in versus accurate allegatos. Cuius generis exempla exstant haec: Cratyl. p. 402 B: *ὥσπερ αὖ Ὅμηρός Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσίν, φησίν, καὶ μητέρα Τηθύν. οἶμαι δὲ καὶ Ἡσίοδος· λέγει δέ που καὶ Ὀρφεὺς ὅτι —.*

---

1) Accedit quod hoc Alcibiadis loco Margites Homero tribuitur, cum a Platone praeter Iliadem et Odysseam nullum carmen Homeri nomine afferatur. cf. Sengebusch l. l. p. 126 et Th. Heine l. l. p. 16 et 27 sq. Praeterea e Theaet. p. 152 E, ubi Homerum *ἄκρον τῆς τραγῳδίας* et rep. X p. 607 A, ubi eum *πρῶτον τῶν τραγῳδοποιῶν* appellat, concludere licet Platonem Margitem Homeri esse non putasse, cum Aristoteles id carmen Homero tribuerit (art. poet. 1448 b 30) atque ab eo comoediae originem duxerit.

rep. II p. 363 A—C *ὥσπερ ὁ γενναῖος Ἡσίοδός τε καὶ Ὅμηρός φασιν, ὁ μὲν τὰς δρῦς τοῖς δικαίοις τοὺς θεοὺς ποιεῖν ἄκρας μέν τε φέρειν βαλάνους, μέσσας δὲ μελίσσας· εἰροπόκοι δ' ὄιες, φησίν, μαλλοῖς καταβεβρίθασι, καὶ ἄλλα δὴ πολλὰ ἀγαθὰ τούτων ἐχόμενα. παραπλήσια δὲ καὶ ὁ ἕτερος· ὥς τέ τευ γάρ φησιν ἢ βασιλῆος ἀμύμονος ὅς τε θεουδὴς κτέ.* cf. ibidem p. 364 C—E; cui rationi favet etiam rep. II p. 381 D, ubi Homerus et Aeschylus simili modo allegantur.

Ex hac re lucem nos allaturos esse speramus loco, qui multis magnisque difficultatibus impeditus est, Conv. p. 178 B; de quo nunc disceptaturi sumus.

Sunt autem verba in hunc modum tradita: *γονῆς γὰρ Ἔρωτος οὔτ' εἰσὶν οὔτε λέγονται ὑπ' οὐδενὸς οὔτε ἰδιώτου οὔτε ποιητοῦ, ἀλλ' Ἡσίοδος πρῶτον μὲν Χάος φησὶ γενέσθαι —*

αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί,
ἠδ' Ἔρος

φησὶ μετὰ τὸ χάος δύο τούτω γενέσθαι, Γῆν τε καὶ Ἔρωτα. Παρμενίδης δὲ τὴν Γένεσιν λέγει

πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων.

Cum non omnia, quae de his versibus viri docti protulerunt, retractare nobis in animo sit, ea tantum examinemus, quae ad hanc quaestionem pertinent.

Varie horum verborum vim et sententiam viri docti acceperunt, idque ne incommodaret legenti cancellis circumscriptum praebuerunt. Et Schoene, qui tertiam editionem Convivii Platonici ab Hugio confectam curavit, ita egit, ut quae scripta sunt, tutaretur, similemque sententiam Burnetus in editione secutus est.

De hoc igitur loco nunc agere constituimus temptantes ecquid argumento conficere possimus.

Recte enim iam C. Fr. Hermann (in praefatione) et Badhamus (in praefatione) observaverunt in eis, quae de Hesiodo dicantur, nonnihil turbatum esse, „quia grammaticus

locum ipsum quem Plato obiter tetigisset plenis verbis in margine describendum putavisset“, postea ea in ipsum verborum ordinem irrepsissent. Cui sententiae favent ea, quae modo statuimus. Nam si verba *Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί, αὐτὰρ ἔπειτα ἠδ' Ἔρος* genuina essent, aut *φησί* versui intericiendum esset, aut illa in accusativum transire necesse esset, ita ut a praecedente *φησί* pendeant, velut Protag. p. 340 D Hesiodea verba. Idem occurrit Xen. Conv. IV 6, ubi eidem Homeri versus constructioni adaptantur, qui voce *φησί* interiecta accurate laudantur Plat. Ion. p. 537 A.

Qua ratione probata manifestum est nos exemplar additamenti ex margine in textum translati habere, cuius similia viri docti saepe statuerunt.

In eis, quae sequuntur, verbis restituendis Schanzius eam viam ingressus est, ut post *Ἔρος* verba *Ἡσιόδῳ δὲ καὶ Ἀκουσίλεως ὁμολογεῖ* transponeret atque *ὅς* adiungeret: similiter etiam Burnet, qui sic edidit: *Ἡσιόδῳ δὲ καὶ Ἀκουσίλεως σύμφησιν μετὰ τὸ Χάος δύο τούτω γενέσθαι, Γῆν τε καὶ Ἔρωτα.* Sed hoc modo tres auctores citantur ipsis verbis (accedit enim Parmenidis testimonium), id quod a Platonis usu alienus est: cf. Cratyl. p. 402 B, ubi Homerus et Orpheus allegantur, sed Hesiodus nominatur tantum vel potius in eum ablegatur. Item res sese habet rep. II p. 363 C, ubi Musaeus, et p. 364 E, ubi Musaeus et Orpheus tantum respiciuntur; quae cum ita sint, verba *Ἡσιόδῳ δὲ καὶ Ἀκουσίλεως ὁμολογεῖ* post locos laudatos ut in illis exemplis inserenda esse censeo, quem ordinem etiam codices praebent. Restat igitur Parmenidis testimonium; quod servandum est, praesertim cum Agatho in ea, quam recitat, oratione p. 195 C Phaedri hanc sententiam refutans non solum Hesiodi, sed etiam Parmenidis respiciat (cf. Hug. append. critic. [2] p. 217). Errant autem Stallbaumius aliique arbitrati Parmenideum versum ita afferri, ut ad quodnam subiectum referendum sit *μητίσατο*,

in ambiguo relinquatur. Sed multo tutius esse videtur, quod idem Stallbaumius in tertia editione suspicatur, in verbis *τὴν Γένεσιν λέγει* contineri subiecti significationem, quam dicendi genus infra p. 49 sq. explicabimus. Quae deinceps sequuntur verba *οὕτω πολλαχόθεν* vel melius *πανταχόθεν*, quod Badhamus mavult Coisliani scripturam probans, (accedit quod *πανταχόθεν* in textu receptum melius congruit cum eo, quod ad tres diversae naturae auctores delegamur,) eis noli offendere, cum in eandem sententiam accipienda sint ac quae supra de notione *οἱ ποιηταὶ* sim. disputavimus.

Itaque sic rationem concludimus, abicienda esse illa verba *αὐτὰρ ἔπειτα — Ἔρος* et sic edendum

ἀλλ' Ἡσίοδος πρῶτον μὲν χάος φησὶ γενέσθαι — μετὰ ⟨δὲ⟩ τὸ χάος δύω τούτω γενέσθαι, Γῆν τε καὶ Ἔρωτα Παρμενίδης δὲ τὴν Γένεσιν λέγει

πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων

Ἡσιόδῳ δὲ καὶ Ἀκουσίλεως ὁμολογεῖ. οὕτω πανταχόθεν κτέ.

Non solum poeta nominatur, sed etiam persona significatur, ad quam verba aliena pertinent.

Saepe locus alienus ita citatur, ut persona significetur, quae aut verba allata dicit aut ad quam omnino ea pertinent.

Ac primum quidem dignus est, qui notetur, hic dativi usus: rep. III p. 389 E *οἷα καὶ Ὁμήρῳ Διομήδης λέγει,* ubi codex F scriptura *παρ' Ὁμήρῳ* [1]) indicare videtur, quemadmodum hic dativi usus intellegendus sit eundemque in sensum eum accipit Kühner-Gerth gram. graec. II 1 p. 422 adn. 21, qui haec attulit exempla: leg. IV p. 706 D *Ὀδυσσεὺς γὰρ αὐτῷ* (scil. *Ὁμήρῳ*) *λοιδορεῖ τὸν Ἀγαμέμνονα.* Herodot. 8, 20 *Βάκιδι γὰρ ὧδε ἔχει περὶ τούτων ὁ χρησμός.* Xenoph. Conv. 8, 30 *ἔστι μὲν γὰρ δήπου καὶ Ὁμήρῳ „γάνυται δέ τ' ἀκούων“.* Aristot. polit. VIII 4, 7 (1339 b_7) *οὐ γὰρ ὁ Ζεὺς αὐτὸς ἀείδει καὶ κιθαρίζει τοῖς ποιηταῖς.*

---

1) cf. Plutarch. Quomodo adul. ab amico internoscatur p. 74 A *ὡς ὁ παρὰ Σοφοκλεῖ τὸν Ἀχιλλέα παροξύνων Ὀδυσσεὺς οὔ φησιν κτέ.*

Quamquam nos id genus dativo ethico tribuere malumus, cui sententiae favere videtur Hipp. min. p. 363 B ubi Socrates exponit se audivisse, *ὅτι ἡ Ἰλιὰς κάλλιον εἴη ποίημα τῷ Ὁμήρῳ ἢ ἡ Ὀδύσσεια.*

Cum hoc dicendi genere cohaeret simile, quod apud Platonem aliosque occurrit, dico eiusmodi exempla velut Phaedon. p. 107 E: *ὡς ὁ Αἰσχύλου Τήλεφος λέγει;* Gorg. p. 526 D *ὥς φησιν Ὀδυσσεὺς ὁ Ὁμήρου:* errat igitur Sauppius ad hunc locum adnotans eam allegandi rationem apud Platonem ibi tantum occurrere; et in eodem dialogo legitur p. 485 E *κινδυνεύω οὖν πεπονθέναι νῦν ὅπερ ὁ Ζῆθος πρὸς τὸν Ἀμφίονα ὁ Εὐριπίδου, οὗπερ ἐμνήσθην:* cum antea p. 484 E eosdem versus sic significare satis habuerit: *συμβαίνει γὰρ τὸ τοῦ Εὐριπίδου·* —

Similiter Conv. p. 177 A *Ἡ μέν μοι ἀρχὴ τοῦ λόγου ἐστὶ κατὰ τὴν Εὐριπίδου Μελανίππην.* Hoc genus dicendi saepe invenitur apud Aristotelem cf. e. g. rhet. I 13. 1373 b_9 *οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη φαίνεται λέγουσα.* ibid. I 15. 1375 a_{33} *ὅθεν εἴρηται τὰ ἐν τῇ Σοφοκλέους Ἀντιγόνῃ*[1]). II 2. 1401 a_{35}. III 2. 1405 a_{28}. III 16. 1417 b_{18}. politic. I 5. 1255 a_{36}. poet. 16, 1455 a_{18}.

Etiam saepius apud Plutarchum: Quaestion. conviv. 1. 1. p. 614 B *ἡ Ὁμηρικὴ Ἑλένη* ibid. 2. 1. p. 632 D *ὁ τοῦ Σοφοκλέους Οἰδίπους,* sed p. 630 E tantum *ὁ Οἰδίπους,* de defectu oracul. p. 417 F *οὔτ' Αἰσχύλος εἶπεν — οὔθ' ὁ Σοφοκλέους Ἄδμητος.* De se ips. citr. invid. laud. p. 540 E *τοῦ Ὁμηρικοῦ Σθενέλου* alibi; idem scriptor in eis enuntiatis nonnumquam pro nomine poetae vulgares notiones adhibet, velut praecept. sanit. tuendae p. 124 B *τὰ τοῦ τραγικοῦ Κρέοντος;* de tranquillitate animi p. 465 A *τὸ τοῦ τραγικοῦ Μέροπος* ibid. p. 471 F *ὁ ποιητικὸς Ἀχιλλεύς,* de curiositate p. 517 A *ὁ κωμῳδούμενος Κλέων* — cf. Quaest. conv. 6. 6.

1) cf. quos Vahlenus ad art. poetic. 16. 1454 b_{31} et 24. 1460 a_{30} attulit locos, ubi Aristoteles nomen proprium personae et indicis tragoediae mixta adhibet.

p. 691 D *ὥσπερ ἡ τραγικὴ τροφὸς ἐκείνη τὰ τῆς Νιόβης τέκνα τιθηνεῖται* —, ibid. 9. 5. p. 739 F *τὰ τοῦ κωμικοῦ γέροντος;* interdum persona tantum nominatur, velut de amore prolis p. 497 D *ὁδ' Οἰδίπους* —. De se ips. citr. invid. laud. p. 541 C *ὁ 'Αχιλλεὺς* — p. 544 A *ὁ 'Οδυσσεύς*, F *ὁ Νέστωρ*; maxime hoc cadit in eos locos, qui ex Homero afferuntur: Quomodo adul. ab amic. internoscatur p. 72 D sq. *ὡς 'Αγαμέμνων* — (E 800) *καὶ ὁ ἐν τοῖς Σκυρίοις 'Οδυσσεύς* — (Nauck p. 653); An seni resp. gerend. p. 795 B *ὡς ὁ Νέστωρ*, p. 807 E *ὥσπερ ὁ Εὐριπίδου Πήγασος*, p. 808 C *ὡς ὁ Διομήδης* —, p. 810 B *ὁ Νέστωρ ὁ τοῦ Σοφοκλέους* cf. etiam de fraterno amore p. 481 A *ὁ Θηβαῖος 'Ετεοκλῆς πρὸς τὸν ἀδελφὸν εἰρηκώς* p. 482 F *τὸ τοῦ 'Αγαμέμνονος* —; de Alexandri Magni fort. aut virt. or. II p. 342 B *καθάπερ 'Οδυσσεὺς ἐκεῖνος*.

Sed redeamus ad nostrum. Plato autem hac tam brevi significatione utitur Cratyl. p. 428 C *μοί πως ἐπέρχεται λέγειν πρὸς σὲ τὸ τοῦ 'Αχιλλέως*, alibi semper nudum Homeri nomen adhibet, ubi Homericorum heroum verba affert v. Conv. p. 198 C *ὥστε ἀτεχνῶς τὸ τοῦ 'Ομήρου ἐπεπόνθη*, ubi *τὸ τοῦ Οδυσσέως* et rep. VII p. 516 D *ἢ τὸ τοῦ 'Ομήρου ἂν πεπονθέναι*, ubi *τὸ τοῦ 'Αχιλλέως* exspectes.

Accuratius rerum conexus indicatur, unde versus petuntur.

Nonnumquam tamen philosophus accuratius conexum indicat, unde verba aliena afferuntur, veluti rep. II p. 383 A sq. *οὐδὲ Αἰσχύλου, ὅταν φῇ ἡ Θέτις τὸν 'Απόλλω ἐν τοῖς αὑτῆς γάμοις ᾄδοντα κτἑ.*, rep. III p. 408 A *καὶ τῷ Μενέλεῳ ἐκ τοῦ τραύματος, οὗ ὁ Πάνδαρος ἔβαλεν* —, Protag. p. 340 A *ὥσπερ ἔφη Ὅμηρος τὸν Σκάμανδρον πολιορκούμενον ὑπὸ τοῦ 'Αχιλλέως τὸν Σιμόεντα παρακαλεῖν, εἰπόντα* — Ion. p. 538 E *πολλαχοῦ μὲν γὰρ καὶ ἐν 'Οδυσσείᾳ λέγει, οἷον καὶ ἃ ὁ τῶν Μελαμποδιδῶν λέγει μάντις πρὸς τοὺς μνηστῆρας, Θεοκλύμενος* — Alia eiusdem generis exempla exstant:

Gorg. p. 526 C sq.; Cratyl. p. 391 E; leg. IV p. 706 D; Charm. p. 155 D *ἐνόμισα σοφώτατον εἶναι τὸν Κυδίαν τὰ ἐρωτικά, ὅς εἶπεν ἐπὶ*[1]) *καλοῦ λέγων παιδός, ἄλλῳ ὑποτιθέμενος,* —, rep. III p. 391 A *ὡς πρὸς τὸν Ἀπόλλω εἶπεν* (scil. *Ἀχιλλεύς*). —

Qua de causa servari posse putamus, quod legitur Phaed. p. 94 D: *οἷόν που καὶ Ὅμηρος ἐν Ὀδυσσείᾳ πεποίηκεν, οὗ λέγει τὸν Ὀδυσσέα* —. Quod ut argumentis stabiliamus, hinc paululum digredi licet.

Schanzius quidem verba *τὸν Ὀδυσσέα* interpolatoris esse adnotavit. Non assentimur, sed ita nobis persuadebimus servari posse ea verba, quae ille damnavit ob eam causam, ut suspicor, quod *τὸν Ὀδυσσέα* non ad *λέγειν*, cui proximum adiectum est, referri posse censuit. Cuius viri doctissimi sententiam argumentando redarguere conabimur.

In hac enim conformatione ad quemnam exemplum allatum referendum sit, optime explicatur. Sed quod summum est et cuius rei causa in disceptando moramur, quam formam ille vir doctus delendo refugit, ea nobis maxime commendatur, ut ab ipso philosopho eam profectam esse existimemus.

Hoc enim voluit scriptor: Additis verbis *τὸν Ὀδυσσέα* admonet audientem vel legentem, ut, de quo quae sequuntur dicantur, recte perspiciat. Qua de causa quicumque orationem perlegerit, non reprehendet, quod is expresse significatur, de quo Homeri verba valent. Unum restat, quod quaeratur: potueritne *τὸν Ὀδυσσέα* ad vocem *λέγει,* cui proximum adiectum est, pertinere. Huius rei probandae multa exempla exstant, velut Conv. p. 178 B: *Παρμενίδης δὲ τὴν Γένεσιν λέγει,* — ibid. p. 199 E *πειρῶ δή . . . καὶ τὸν ἔρωτα εἰπεῖν.* Protag. p. 350 B *πῶς οὖν . . .*

---

1) ad hoc *λέγειν ἐπί τινος* cf. Aristotel. rhet. III. 6. 1408 a_2 *ὁ ἐκεῖνος* (scil. *Ἀντίμαχος*) *ποιεῖ ἐπὶ τοῦ Τευμησσοῦ* — Plutarch. Quomodo adulesc. poet. aud. debeat p. 16 F *οἷον ἐπὶ τοῦ Διὸς εἰρηκότος Ὁμήρου* — Consol. ad Apollon. p. 107 D, p. 110 C (sed B *περὶ*), p. 116 A (sed D *περὶ*).

λέγεις τοὺς ἀνδρείους; [Amator. p. 135 A]. Restat Cratyl. p. 398 D *καὶ ἤτοι τοῦτο λέγει τοὺς ἥρωας,* ubi quo iure Astius *τοὺς ἥρωας* deleverit non intellegimus [cf. Axiochus, qui fertur Platonis p. 368 A *τὸν δ' Ἀμφίαραον τί φησιν;*] ad horum igitur similitudinem illa, quae scripta sunt apud Platonem, si interpretamur, apparet ea non distare ab eis, quae Graece dici poterant.

Quibus addere quid vetat, quae in eodem Phaedone plane ad eundem modum formata leguntur, p. 111 E sq.: *ἕν τι τῶν χασμάτων τῆς γῆς ἄλλως τε μέγιστον τυγχάνει ὂν καὶ διαμπερὲς τετρημένον δι' ὅλης τῆς γῆς, τοῦτο ὅπερ Ὅμηρος εἶπε, λέγων αὐτὸ*

τῆλε μάλ' ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον?

Idem dicendi genus ne a Romanis quidem scriptoribus alienum erat, de quo vide Vahleni Enn. poes. rell.[2] p. XXXVIII adn.

Ad eandemque dicendi rationem referimus Aristot. rhet. III 4. 1406 b_{21} *ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα —.* Aristotelis autem testimonium, de quo si quis dubitaverit propter eius librorum formam, confirmatur Plutarchi locis, velut consol. ad Apollonium p. 118 A habemus idem *τὸ Ὁμηρικὸν τοῦτ' ἔπος, ὅπερ ὁ Ἕκτωρ πρὸς τὴν Ἀνδρομάχην ἀντιπαρηγορῶν αὐτὴν εἶπεν ὡδί — ταύτην δὲ τὴν μοῖραν ἐν ἄλλοις ὁ ποιητής φησι —*[1]). Ad horum similitudinem etiam revocari possunt ea, quae apud Xenophontem leguntur: Comment. I 2, 58: *τὸ δὲ Ὁμήρου ἔφη ὁ κατήγορος πολλάκις αὐτὸν λέγειν, ὅτι Ὀδυσσεὺς* —: hic enim *Ὀδυσσεὺς*

---

1) Fortasse Plutarch. Quaest. conv. 9. 15 p. 747 D: *πρὸς δὲ τὰς ἐμφάσεις καὶ τὰς μιμήσεις καὶ ὀνοματοποιίαις χρῶνται* (scil. *οἱ ποιηταί*) *καὶ μεταφοραῖς, ʽκελαρύζειν᾿ καὶ ʽκαχλάζειν᾿ τὰ κλώμενα τῶν ῥευμάτων λέγοντες, καὶ τὰ βέλη φέρεσθαι ʽλιλαιόμενα χροὸς ἆσαι᾿* [*Λ* 574 et *O* 317], *καὶ τὴν ἰσόρροπον μάχην ʽἴσας ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχειν.᾿* pro codicum scriptura *ἔχειν* in textum *ἔχεν* forma recipienda est, quod longe plurimi testes *Λ* 72 *ἴσας δ' ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχεν* praebent (v. Ludwichii Iliadis editionem): secundum ea, quae modo exposuimus, hoc fieri potest.

post ὅτι idem valet atque illud Phaedonis τὸν Ὀδυσσέα a λέγει pendens. His autem argumentis corruit interpolationis suspicio neque recte mentem Platonis interpretantur, qui illam Schanzii rationem probant; nam verba τὸν Ὀδυσσέα non onerare sed adiuvare orationem arbitramur.

De titulis.

Accuratius autem quam eis locis, quos supra commemoravimus, Plato alibi sententiam laudatam inducit, velut Ion. p. 539 B πολλαχοῦ δὲ καὶ ἐν Ἰλιάδι, οἷον καὶ ἐπὶ τειχομαχίᾳ, ubi titulo carminis duodecimi Iliadis usus est. Tales tituli desunt e. g. in republica, cuius p. 386 C sqq. permulti loci et Iliadis et Odysseae afferuntur — quamquam ex Herod. II 116 constat eos tum in usu fuisse —, nisi huc referas eiusmodi exempla, velut rep. II p. 379 E τὴν δὲ τῶν ὅρκων καὶ σπονδῶν σύγχυσιν, ἣν ὁ Πάνδαρος συνέχεεν; rep. II p. 383 A τοῦτο οὐκ ἐπαινεσόμεθα, τὴν τοῦ ἐνυπνίου πομπὴν ὑπὸ Διὸς τῷ Ἀγαμέμνονι (cf. Aristot. π. σοφ. ἐλ. 4. 162 b_7 καὶ τὸ περὶ τὸ ἐνύπνιον τοῦ Ἀγαμέμνονος κτἑ.) cf. etiam rep. III p. 393 B . . . διήγησιν περί τε τῶν ἐν Ἰλίῳ καὶ περὶ τῶν ἐν Ἰθάκῃ καὶ ὅλῃ Ὀδυσσείᾳ παθημάτων ibid. II p. 380 A τὰ τῆς Νιόβης πάθη, ἢ τὰ Πελοπιδῶν ἢ τὰ Τρωικά; p. 378 D καὶ θεομαχίας ὅσας Ὅμηρος πεποίηκεν; ubi tamen titulos certos respicere non videtur[1]).

Praeter Ionem soli Hipp. min. p. 364 E et Cratyl. p. 428 C dialogi similem titulum praebent, scilicet utroque loco Λιταί, eundemque usum habet Minos qui fertur Platonis p. 319 D ἐν Νεκυίᾳ, etiam Aristoteles novit: Odysseae enim librum undevicesimum nominat Νίπτρα: poet. 16. 1454 b_{30}; 24. 1460 a_{26}.

---

1) Quod rep. X p. 614 B legitur Ἀλκίνου ἀπόλογος, i. e. Ulixis illa perlonga atque fabulosa apud Alcinoum narratio errorum, cui in libris inscribebatur, proverbii instar fuisse apparet ex hoc loco (cf. Leutsch-Schneidewin. Paroem. Graeci I, p. 210 (86)), item rep. VI p. 493 D ἡ Διομηδεία λεγομένη ἀνάγκη, quod dicitur de necessitate non evitanda (cf. ibid. I p. 59 sq.).

Io num verum Platonis opus sit, a nonnullis dubitatur. Inest doctrinae quaedam ostentatio, quae a genuino Platone aliena esse videtur, sed eam Ioni Plato affinxit, ut eius ingenium describeret; de hac re non recte iudicavit Wilamowitzius in Euripidis Herculis editionis prioris vol. I p. 12 adn. 17 arbitratus propter locorum allatorum iactationem eum dialogum non genuinum Platonis opus esse, cui suo iure refragatur Stählin l. l. p. 29 sq. (cf. Ion. p. 537 B, ubi Socrates Ionem Homeri versus uno et perpetuo tenore recitantem interpellat et loqui plura prohibet exclamans: *Ἀρκεῖ.*). — Interdum vero scriptor ne perscribit quidem totum locum citandum, sed breviter significat prima eius verba ascribens. Quod occurrit in exemplis notissimis, quae audientes vel legentes ipsos in mentem sibi revocaturos esse noster sperat simulque cavere studet, ne longius inhaerescat alicui rei neve legentibus molestias exhibeat allata materia inutili.

In primo quidem legum libro ad Tyrtaei carmina breviter laudata sic Atheniensis ille Megillum delegat: p. 629 B *Ταῦτα γὰρ ἀκήκοάς που καὶ σὺ τὰ ποιήματα;* similique modo Simonidei carminis initio Prot. p. 339 A citato quaerit Protagoras e Socrate *τοῦτο ἐπίστασαι τὸ ᾆσμα, ἢ πᾶν σοι διεξέλθω;* Socrates autem ex animo Protagorae respondet *οὐδὲν δεῖ· ἐπίσταμαί τε γάρ, καὶ πάνυ μοι τυγχάνει μεμεληκὸς τοῦ ᾄσματος.* Pindari autem verba quomodo Callicles Gorg. p. 484 B proferret, optime explicavit Seippelius l. l. p. 9.

Occurrit autem eadem citandi ratio in eis exemplis, ubi ad illa, quae praecedunt, ablegamur, velut Prot. p. 339 C — *ἐννοεῖς ὅτι ὁ αὐτὸς οὗτος καὶ τάδε λέγει κἀκεῖνα τὰ ἔμπροσθεν;* [B], (leg. III p. 682 A respicitur p. 680 B), et eiusmodi locis, ubi Plato, ne nimis extenderet exempla, post versus allatos multa praetermittit, quorum tamen memores vult audientes: e. g. Phaed. p. 112 A — *ὃ καὶ ἄλλοθι καὶ ἐκεῖνος* (scil. *Ὅμηρος*) *καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ποιη-*

τῶν Τάρταρον κεκλήκασι cf. rep. III p. 387 B, p. 388 B, p. 389 E, p. 390 A. — Simili modo Cicero „nostis“, „nostis cetera“ sim. adhibet, quibus sibi otium facit plura afferendi: v. Vahlen opusc. II p. 313.

His expositis revertamur ad Ionis locos, unde profecti sumus. Censemus enim rationem reddi posse satis idoneam, cur illi tituli in his dialogis adhibeantur. Hippias enim et Cratylus, qui in dialogis suis nominibus inscriptis eis titulis utuntur, *τῶν τότε περὶ Ὅμηρον δεινῶν* erant, qui rhapsodorum more singulas Homericorum carminum partes tractarent, similiterque in Ione dialogo Socrates cum Ione Ephesio rhapsodo colloquitur de arte rhapsodorum, qui tum maxime Homeri carmina declamabant: Horum qui illos titulos invenerunt rationem Socrates sequitur, neque poterat aliter pars aliqua Homerici carminis significari, quoniam per libros distributio posteriore demum aetate facta est[1]). Accedit aliud, quod Ion. p. 537 A legitur, ubi Socrates: *Εἰπὲ δή μοι,* inquit, *ἃ λέγει Νέστωρ Ἀντιλόχῳ τῷ ὑεῖ, παραινῶν εὐλαβηθῆναι περὶ τὴν καμπὴν ἐν τῇ ἱπποδρομίᾳ τῇ ἐπὶ Πατρόκλῳ* (= Il. XXX 257—652): hic dubium est, utrum Plato veram rhapsodiam ab aliis discretam intellegat an ad breviter citandum id nomen fingat[2]).

In aliis carminibus accuratius significandis Plato satis habuit initium carminis afferre simulque eum nominare, ad quem carmen missum est, velut Protag. p. 339 A sq. *λέγει γάρ που Σιμωνίδης πρὸς Σκόπαν, τὸν Κρέοντος ὑὸν τοῦ Θετταλοῦ, ὅτι* —; rep. II p. 368 A *οὐ κακῶς εἰς ὑμᾶς, ὦ παῖδες, ἐκείνου τοῦ ἀνδρὸς, τὴν ἀρχὴν τῶν ἐλεγείων ἐποίησεν ὁ Γλαύκωνος ἐραστής, εὐδοκιμήσαντας περὶ τὴν Μεγαροῖ μάχην, εἰπών·* — Similiter Xenophon Comment. II 6, 11 Sirenum cantum commemorat: *ἃ μὲν αἱ Σειρῆνες ἐπῇδον τῷ Ὀδυσσεῖ, ἤκουσας Ὁμήρου, ὧν ἐστιν ἀρχὴ τοιάδε τις* — laudat tamen primum tantum versum.

1) v. P. Cauer, „Grundfragen der Homerkritik“ ² (1909) p. 450 sq.

2) de ceteris causis huc pertinentibus cf. Stählin l. l. p. 29 sq.

De particulae *πού* usu.

Ex hoc Protag. p. 339 A loco aliam quoque rem discimus. Saepe enim dialogi personae verba quaedam afferentes, ubi occurrant, non satis sciunt. Quam ob rem *πού* additur ita, ut is qui verba laudat, ubi exstent et scire neque accuratissime notare videatur. Hoc neque diligentia neque socordia scribendi, sed ratio quaedam inter eas media est. „Schiller sagt irgendwo" et similia etiam nobis in usu sunt, etiamsi probe scimus, ubi ea exstent.

Eum autem flosculum dicendi quendam invenimus in hisce exemplis, quae huc faciunt: Sophist. p. 258 D *ὁ μέν πού φησιν* — quamquam eidem Parmenidis versus iam antea p. 237 A allegantur atque ibi verbis *πεζῇ τε καὶ μετὰ μέτρων,* quibus Parmenidem quocunque modo suum dogma cantavisse praedicari optime suspicatus est Vahlenus (opusc. acad. I 79), cum p. 258 D *πού* particula ad carmina scripta sola delegari censeamus; Cratyl. p. 402 B, Protag. p. 339 A et C, Phaed. p. 94 D, Lach. p. 191 A, leg. III p. 680 B, p. 681 E cf. Xenoph. Conv. IV 7 et VIII 30. Cuius generis exempla ad Plutarch. Pericl. 4 *ὥς που καὶ Τίμων* debebant afferri ad lectionem ibi veram tutandam cf. Alcibiad. 13 *ὥς που καὶ Πλάτων,* idem Niciae 11; Lycurg. 6 sub fine; praecept. coniug. p. 143 D, De E apud Delphos p. 393 C, De facie in orbe lunae p. 921 B, p. 934 B, p. 937 F *(ὥς που καὶ λέγεται,* sed p. 942 F *ὥσπερ καὶ Ὅμηρος).*

Quibus addamus Aristid. or. 3 p. 31 Dind., qui versum Homeri notissimum (*Ξ* 201) sic affert: *ὥς που εἴρηται* (idem or. 46 p. 311 Dind. dicit: *Τεῦκρος ἔφη τινί* atque intellegit Agamemnonem in Soph. Aj. 1313) et in epistula ad Hebraeos missa leguntur haec (2, 6): *διεμαρτύρατο δέ πού τις λέγων* (cf. p. 38), quamvis accurrate cognoverit auctor, ubi verba laudata occurrerent (scil. psalm. 8, 5—7) cf. in eadem epistula 4, 4 *εἴρηκεν γάρ που περὶ τῆς ἑβδόμης οὕτως* (resp. Gen. 2, 2): vide quae de hac re exposuit de

Soden „Handkommentar zum Neuen Testament“ III 2 [3] (1899) p. 6 et quae vir ille doctissimus ad illum locum adnotavit.

Qui usus ne a nostratibus quidem alienus est; Lessingius quidem dicit (op. 5, 60) „läßt Plato den Sokrates irgendwo sagen“, quamquam probe scit verba Socratis in Phaedone exstare.

Simile aliquid Vahlenus statuit (Enn. poes. rell. [2] p. XLV) de Ciceronis laudandi genere in Bruto 57 adhibito („in nono, ut opinor, annali“); ibi enim verbis „ut opinor“ additis scriptorem videri voluisse Ennii verba e memoria afferre; idem occurrit apud Platonem in Lysid. p. 214 A *λέγουσι* (scil. *οἱ ποιηταί*) *δέ πως ταῦτα, ὡς ἐγᾦμαι, ὡδί* — Phaedr. p. 252 B *λέγουσι δὲ οἶμαί τινες Ὁμηριδῶν ἐκ τῶν ἀποθέτων ἐπῶν δύο ἔπη κτλ.* (de quo vide infra p. 61), Cratyl. p. 402 B sq. *οἶμαι δὲ καὶ Ἡσίοδος*, ubi Socrates loquitur dubitantius, sed pergit sic Orpheum allegans: *λέγει δέ που καὶ Ὀρφεὺς ὅτι.* — Illa autem particula *πού* Plato saepius utitur, ubi ad superiora respicit, velut Sophist. p. 232 B: *Ἀντιλογικὸν αὐτὸν ἔφαμεν εἶναί που*: v. p. 225 B, rep. VII p. 533 D *διάνοιαν δὲ αὐτὴν ἔν γε τῷ πρόσθεν που ὡρισάμεθα*: VI p. 511 D, Gorg. p. 473 A (respic. p. 469 B); rep. IV p. 441 B *ἄνω που ἐκεῖ*: (rep. III p. 390 D), hic tamen Burnetus Galenum secutus *που* seclusit; cf. rep. V p. 466 B: *ὅ γε καὶ ἐκεῖ ἔλεγον* (IV p. 420 D), sed Gorg. p. 508 E *ταῦτα ἡμῖν ἄνω ἐκεῖ ἐν τοῖς πρόσθεν λόγοις οὕτω φανέντα,* cuius loci ratio non dissimilis est a rep. IV p. 441 B, idem vir doctus Hirschigium Sauppiumque *ἐν τοῖς πρόσθεν λόγοις* delentes secutus non est.

Quomodo complures loci alieni coniungantur.

Sed alibi, ubi complures eiusdem poetae loci afferuntur, accuratius indicatur, ubi illi exstent, velut Hipp. min. p. 370 A sqq.: *προειπὼν γὰρ ταῦτα τὰ ἔπη, ἅπερ καὶ σὺ εἶπες ἄρτι, — ὀλίγον ὕστερον λέγει, ὡς . . . — ἔτι δὲ πρό-*

τερον τούτων πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα λοιδορούμενος εἶπεν· — ibidem p. 371 B *οὐκ οἶσθα ὅτι λέγων ὕστερον κτέ.* p. D *ὥστε ὀλίγον πρότερον κτέ.* Optime autem haec ratio elucet e Simonideo carmine in Protagora dialogo allegato: p. 343 C *τὸ πρῶτον τοῦ ᾄσματος* (cf. p. 340 B *ἐν τοῖς πρώτοις*) quod p. 339 B affertur; ibid. C *προιόντος τοῦ ᾄσματος λέγει που* (cf. D *τὸ μὲν πρῶτον . . . ὀλίγον δὲ τοῦ ποιήματος εἰς τὸ πρόσθεν προελθὼν* . .); p. 341 E *εὐθὺς τὸ μετὰ τοῦτο ῥῆμα* (scil. *τὸ Πιττάκειον*) *λέγει γὰρ ὅτι* —; p. 344 B *λέγει γὰρ μετὰ τοῦτο* (scil. *τὸ Πιττάκειον ῥῆμα*) *ὀλίγα διελθών* . . . p. 345 C *Ταῦτά τε οὖν πάντα πρὸς τὸν Πιττακὸν εἴρηται, καὶ τὰ ἐπιόντα γε τοῦ ᾄσματος ἔτι μᾶλλον δηλοῖ. φησὶ γάρ·* — accedunt, quae p. 346 C citantur. Huc etiam referendum est, quod Menon. p. 95 E legitur: Compluribus enim versibus Theognidis citatis Socrates in allegando sic pergit: *Ἐν ἄλλοις δέ γε ὀλίγον μεταβάς,* — citantur autem D Theognidea disticha, quae nunc v. 33—36 leguntur, quibus alia adiciuntur illis verbis *ἐν ἄλλοις ὀλίγον μεταβάς,* quae v. 436—438 exstant. His autem verbis Platonem uti non potuisse, si quadringenti fere versus interiecti fuissent, multi viri docti contendunt simulque hinc concludunt veterum versuum Theognideorum ordinem valde turbatum esse cf. Reitzenstein „Epigramm u. Skolion“ p. 56; C. Müller „De scriptis Theognidis“, Diss. Jen. 1877 p. 41, permulti alii.

Sed hi viri docti verbum *μεταβάς* aliam in sententiam acceperunt, ac Plato voluit, decepti eiusmodi locis, velut Prot. p. 339 D *ὀλίγον δὲ τοῦ ποιήματος εἰς τὸ πρόσθεν προελθών* et p. 344 B *λέγει γὰρ μετὰ τοῦτο (τὸ Πιττάκειον ῥῆμα) ὀλίγα διελθών* (cf. Reitzenstein l. l. p. 56 adn. 1), neque satis animos attendebant ad verba *ἐν ἄλλοις,* quibus ad alia carmina delegari apparet ex Plutarcheo loco, quem infra afferemus.

In Menonis vero loco *μεταβαίνειν* non item intellegendum est atque illud *προελθεῖν,* sed significat, ut iam

voluit Stallbaumius, „transire ad aliam sententiam". Quae sententia eo confirmatur, quod Socrates hic demonstrare studet Theognidem sibi repugnantia exhibere. Similiter [Plutarchus] Consol. ad Apoll. p. 120 D dicit: — *καὶ μικρὸν προελθὼν*[1]) *ἐν ἄλλῳ θρήνῳ περὶ ψυχῆς λέγων φησίν* (scil. *Πίνδαρος*), ubi verbis *ἐν ἄλλῳ θρήνῳ* ad aliud carmen delegamur. Adnotare hic licet errare videri Marchantium, qui Xen. Comment. II 1, 20 — *καὶ ἐν ἄλλῳ δὲ τόπῳ φησίν* (scil. *Ἐπίχαρμος*) verbum *τόπῳ* deceptus, ut videtur, praecedente *ἐν τῷδε* seclusit, cum alias in eiusmodi exemplis semper *ἐν ἄλλοις*, etiamsi unus versus sequitur, scriptum videamus cf. Aristot. politic. VIII 3. 1338 a_{27}, de anima III 3. 427 a_{24}; [Plutarch.] Consol. ad Apollon. p. 104 B et E; sed F legitur *ἐν ἄλλῳ τόπῳ φησὶν οὕτω* (scil. *Ὅμηρος*) quod sententiam nostram egregie stabilit[2]). cf. etiam ibid. p. 116 F et 118 A.

Hac digressione facta revertamur ad nostrum.

De carminum genere significando.

Interdum enim non solum poeta, sed etiam carminis genus significatur: Ion. p. 534 D sq. explicans poetas nihil, quod memoria dignum sit, procreare nisi furore divino Musarum elatos Tynnichum Chalcidensem pro exemplo affert: *ὃς ἄλλο μὲν οὐδὲν πώποτε ἐποίησε ποίημα ὅτου τις ἂν ἀξιώσειεν μνησθῆναι, τὸν δὲ παίωνα ὃν πάντες ᾄδουσι, σχεδόν τι πάντων μελῶν κάλλιστον, ἀτεχνῶς, ὅπερ αὐτὸς λέγει, "εὕρημά τι Μοισᾶν"* . . atque Simonidis carmen in Protaga sic significatur: p. 339 B *τοῦτ' ἐπίστασαι τὸ ᾆσμα ἢ πᾶν σοι διεξέλθω;* — *τοῦ ᾄσματος* . . . C *τοῦ ᾄσματος* . . . D *τοῦ ποιήματος*. cf. p. 341 E, p. 342 A, p. 344 B, p. 345 B, p. 347 A

---

1) de *προελθεῖν* verbo cf. quae Sauppe ad Protag. p. 339 D adnotavit. Haec Plutarchi verba *μικρὸν προελθὼν* plane respondent Platonicis *ὀλίγον μεταβὰς* eaque luculentissimum testimonium praebent ad nostram sententiam firmandam.

2) Illa verba eadem vi dicta sunt ac Conv. VIII 30 *ἄλλοθί που*.

Sin autem hoc carmen re vera scolium esset, quod Blassius et Wilamowitzius (in nuntiis academ. Gotting. 1898, p. 244 sqq.) voluerunt, mirum est, quod Plato ad variandum sermonem ea voce usus non est, cum Gorg. p. 451 E et p. 452 A id verbum adhibuerit; quamquam concedendum est Platonem satis habuisse accuratius carmen non indicare.

Praeterea huc faciunt Gorg. p. 484 B *δοκεῖ δέ μοι καὶ Πίνδαρος, ἅπερ ἐγὼ λέγω, ἐνδείκνυσθαι ἐν τῷ ᾄσματι, ἐν ᾧ λέγει, ὅτι* —, rep. II p. 368 A, *τὴν ἀρχὴν τῶν ἐλεγείων ἐποίησεν ὁ Γλαύκωνος ἐραστής* . . ., et Menon. p. 95 D sq. — quem locum supra commemoravimus — Socrates Menoni interroganti *ἐν ποίοις ἔπεσιν;* respondet *ἔν τοῖς ἐλεγείοις, οὗ λέγει* — hinc conclusit Reitzenstein l. l. p. 54 praeter elegias etiam alterius generis carmina composuisse Theognidem, sic explicans: „Die Zwischenfrage ist sinnlos, wenn Plato nicht auch andere Gedichte als die „elegischen" kennt" (ei assentitur G. Knaack, Berlin. philol. Wochenschr. 1895, p. 1125).

Non recte nostra quidem sententia.

Cum enim Socrates Menoni interroganti *ἐν ποίοις ἔπεσιν;* respondeat *ἐν τοῖς ἐλεγείοις, οὗ λέγει, ἔπη* in generalem sententiam accipere videtur [1]) pro carminibus et *ἐλεγείοις* neque certum quendam Theognidis librum, qui *ἐλεγεῖα* inscribitur, significare; atque illa verba *ἐν ποίοις ἔπεσιν* nihil aliud valent nisi ut „ubi" indicent velut Hipp. min. p. 371 B, ubi Socrates Hippiae interroganti *Ποῦ δή;* respondet *ἐν οἷς λέγει* — cf. etiam Phaedr. p. 264 CD [cf. de iusto p. 374 A . . *δεῖ τῷ ποιητῇ πείθεσθαι.* — *Ποίῳ ποιητῇ;* — *Ὅστις εἶπεν* —]. Hoc autem dicendi genere Plato utitur,

---

1) Accedit huc, quod vetustiores auctores disticha simpliciter *ἔπη* nominare (Solon 1. Theognis. 20. 22. Herodot. V 113); ab quinto autem saeculo altera quoque significatio *ἐλεγεῖον, ἐλεγεῖα* occurrit, de qua re optime egit Crusius in Pauly-Wissowae realencycl. vol. V p. 2263.

ut dialogus viridior fiat [2]). Simili modo eosdem Theognidis versus adhibet Xen. Conv. II 4: *Ἀλλὰ πόθεν δή; Ὅθεν* (v. supra p. 20) *Θέογνις* —.

Saepe etiam simpliciter verbis *ποιήματα* (leg. I p. 629 B et D) loci alieni monemur, vel *ἔπη* (Hipp. min. p. 365 B, p. 370 A, leg. III p. 682 A, quae vox ut saepe de singulis versibus accipiendum est; similiter Euthydem. p. 291 D *κατὰ τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον* et rep. II p. 380 A, *ὡς Αἰσχύλος λέγει, . . — ἀλλ' ἐάν τις ποιῇ ἐν οἷς ταῦτα τὰ ἰαμβεῖα ἔνεστιν, . . .*

Restant tres loci huc facientes, qui in uno eodemque dialogo allegantur: dico Stesichori *παλινῳδίαν*, illa *ἀπόθετα ἔπη* Homeridarum, epigramma in Midam confectum: de quibus quid iudicandum sit nunc quaeramus.

Ac primum quidem Phaedr. p. 243 A sq. aliquot e Stesichori *παλινῳδίᾳ* versibus laudatis Socrates sic pergit: *καὶ ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινῳδίαν παραχρῆμα ἀνέβλεψεν* (scil. *Στησίχορος*). Idem autem carmen eisdem verbis significatur ab Isocrate in Helenae encomio 64 (ante hic praebet *ἀρχόμενος τῆς* (hoc add. *ΔΓ*) *ᾠδῆς ἐβλασφήμησε κτλ.*). Cum ab utroque scriptore *καλουμένη* ad *παλινῳδίαν* addatur, hoc nomen tum in omnium ore fuisse neque ab ipso poeta profectum esse concludere licet: similiter Tyrtaei carmen, quo Lacedaemoniorum rei publicae praestantiam ille celebravit, ab Aristotele politic. V 7. 1306 b_{39} nominatur *ἡ Τυρταίου ποίησις ἡ καλουμένη Εὐνομία*. Et tum quidem ex hac celeberrima ad Helenam *παλινῳδίᾳ* proverbium videtur natum esse de eis, qui dicta sua retractando irrita esse iubent: *Στησίχορος παλινῳδίαν ᾄδει*, quod alia

---

2) Ad sermonem variatum cf. praeter Protag. p. 339 B sqq., ubi *ποίημα* et *ᾆσμα* promiscue usurpantur, quemadmodum Zenonis liber in Parmenide allegatur: p. 127 C . . . *τῶν τοῦ Ζήνωνος γραμμάτων* . . . *τῶν λόγων* . . . D . . *τῶν γραμμάτων* . . E . . *οἱ λόγοι* . . p. 128 A . . . *τὸ γράμμα* . , *τῷ συγγράμματι* . . . B . . *τοῦ γράμματος* . . *κτλ.*

ab aliis forma saepissime usurpatum est (v. Bergk PLG III⁴ p. 219). Item atque illud *καλούμενος* dicitur *λεγόμενος* leg. VI p. 782 C *Ὀρφικοί τινες λεγόμενοι βίοι*, Theaet. p. 173 D *οἱ τῆς θαλάττης λεγόμενοι χόες* ibid. p. 176 B *ταῦτα μὲν γάρ ἐστιν ὁ λεγόμενος γραῶν ὕθλος*, rep. VI p. 493 D *ἡ Διομηδεία λεγομένη ἀνάγκη* (v. supra p. 51 adn.).

Non omnia, quae de hoc carmine viri docti (v. Bergk III⁴ p. 219) protulerunt, retractare in animo habemus, sed requirere tantum aliorum opiniones de huius titulo. Bergkius quidem in tertia poetarum lyricorum Graecorum editione p. 981 censuit Palinodiam non diversum esse carmen ab eo, quod *Ἑλένα* inscribitur; postea autem ipsius opinioni refragatus est in quarta editione; eum secutus Christ-Schmid hist. litt. Graec. I p. 202 Helenam et Palinodiam diversa statuit carmina. Hanc vero sententiam veram esse satis apparet e Platonis loco, etiam magis ex Isocrate, qui *τὴν παλινῳδίαν* planissime secernit a priore carmine (*ὅτε μὲν γὰρ ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς ἐβλασφήμησέ τι περὶ αὐτῆς* (scil. *Ἑλένης*), . . . *ἐπειδὴ δὲ* . . *τὴν καλουμένην παλινῳδίαν ἐποίησε* . . .). Sed utrum in Helena an in Ilii excidio, ad quod plerique carmen revocant, ista Helenae ignominia facta esset, memoriae proditum non est neque certis coniecturis comprobari potest: v. Bergk PLG III⁴ p. 214.

Alter locus exstat Phaedr. p. 252 B, ubi leguntur haec: *λέγουσι δέ, οἶμαί, τινες Ὁμηριδῶν ἐκ τῶν ἀποθέτων ἐπῶν δύο ἔπη εἰς τὸν Ἔρωτα, ὧν τὸ ἕτερον ὑβριστικὸν πάνυ καὶ οὐ σφόδρα τι ἔμμετρον· ὑμνοῦσι δὲ ὧδε·*

τὸν δ' ἤτοι θνητοὶ μὲν Ἔρωτα καλοῦσι ποτηνόν,
ἀθάνατοι δὲ Πτέρωτα, διὰ πτεροφύτορ' ἀνάγκην.

τούτοις δὴ ἔξεστι μὲν πείθεσθαι, ἔξεστιν δὲ μή.

Ac primum quidem quaerendum est, quinam Homeridae sint. Isocrates, qui Helen. enc. 65 eisdem ac Plato verbis utitur: *λέγουσι δέ τινες καὶ τῶν Ὁμηριδῶν*, de-

signavit sine dubio hoc nomine Homeri laudatores vel eos, qui in Homericis studiis versarentur (v. Sengebusch l. l. p. 104 sq.): i. e. *ἐπαινέται Ὁμήρου*, qui vocabantur cf. Plat. rep. X p. 606 E, Prot. p. 309 A, Ion. p. 536 D; itemque Homeridae intellegendi sunt, qui rep. X p. 599 E et Ion. p. 530 D commemorantur, ubi item atque Phaedri loco ironia quaedam perspicua est. Hic igitur Plato ad quosdam *(τινές)* sententiam defert, quam eos interpretatione quadam Homericorum verborum praestare putat *(οἶμαι)*. Ironia autem, quae in illis verbis latet, augetur eo, quod philosophus alterum versum ut *ὑβριστικὸν πάνυ καὶ οὐ σφόδρα τι ἔμμετρον* vituperat: nimirum *οὐ σφόδρα τι ἔμμετρον* ad metri formam referendum est, quamquam Ast. huic opinioni adversatur (cf. Conv. p. 197 C *ἐπέρχεται δέ μοί τι καὶ ἔμμετρον εἰπεῖν κτλ.*), atque id *ἔμμετρον* pertinet ad alterius versus modulationem (v. Heine l. l. p. 21). Idem autem versus *ὑβριστικὸς* significatur ‘quia derivatio illa nominis *ἔρως* a *πτέρως* tam incredibilis est, ut ioci causa et ludibrii reperta videatur; similiterque Plato in Cratylo p. 426 B vocabulorum etyma a se ficta *ὑβριστικὰ καὶ γελοῖα* vocat’ (Lobeck. Aglaoph. II p. 861). Facete deinceps de versibus illis Plato addit: *τούτοις δὴ ἔξεστι μὲν πείθεσθαι, ἔξεστιν δὲ μή*. Sed verba, quae sequuntur: *ὅμως δὲ ἥ γε αἰτία καὶ τὸ πάθος τῶν ἐρώντων τοῦτο ἐκεῖνο τυγχάνει ὄν*, serio eius sententiam praestant.

Cur autem Plato, si nullius certi *ἀπόθετα ἔπη* intellexit, ea rettulit ad Homeridas quosdam, qui nimirum Homericorum carminum monent? Videntur enim tum ab illis talia *ἔπη ἀπόθετα* Homeri nomine lata esse, illorumque morem illudit Plato, cum quibusdam versus *ὑβριστικοὺς καὶ οὐ σφόδρα ἐμμέτρους* tribuit, sed ita, ut ei hoc ipso titulo (*ἀπόθετα Ὁμηριδῶν ἔπη*) aliena ab Homero se putare clare indicet. Atque eos versus a Platone fictos esse, ut Homeridas irrideret, putamus cum Astio et Hirzelio (in libro, qui inscribitur „Der Dialog“ I p. 383), cui adversatur

Nordenus in libro illo de veterum scriptorum sermone artificioso confecto I p. 111 adn. 1 Passowii sententiam probans et Welckeri, qui hymnos intellegit, quos familiae sacerdotales repositos habuerint et reconditos. Finxit autem versus ad exstantia Homeri carmina. Ludwichius quidem monuit (l. l. p. 151 adn. 3) eos similes esse ei, qui *Y* 74 legitur; cf. etiam B 813 sq. Accedit, quod in eodem dialogo p. 241 D versus exstat, cuius auctor nullus affertur et qui facete fictus esse videtur ad X 262 sq. Similiter Conv. p. 197 C duos in eundem Amorem versus Plato praebet, quibus Agathonem ludere iubet, ut sibi quasi illudat; cf. quae ibi ad *γαλήνην* adnotavit Hug-Schoene.

Restat, ut de illo epigrammate, quod Phaedr. p. 264 D allegatur, disputemus. Ibi enim Socrates Lysiae orationem comparat cum epigrammate, quod in Midae Phrygis sepulcro nonnulli dicant inscriptum esse: cuius versus quoquo modo mutatos nihil interesse ad significationem.

Sunt autem verba haec:

ΣΩ. Σκέψαι τοίνυν τὸν τοῦ ἑταίρου σου λόγον, εἴτε οὕτως εἴτε ἄλλως ἔχει, καὶ εὑρήσεις τοῦ ἐπιγράμματος οὐδὲν διαφέροντα, ὃ Μίδᾳ τῷ Φρυγί φασίν τινες ἐπιγεγράφθαι.

ΦΑΙ. Ποῖον τοῦτο, καὶ τί πεπονθός;

ΣΩ. Ἔστι μὲν τοῦτο τόδε·

χαλκῆ παρθένος εἰμί, Μίδα δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι.
ὄφρ' ἂν ὕδωρ τε νάῃ καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ,
αὐτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύτου ἐπὶ τύμβου,
ἀγγελέω παριοῦσι Μίδας ὅτι τῇδε τέθαπται.

ὅτι δ' οὐδὲν διαφέρει αὐτοῦ πρῶτον ἢ ὕστατόν τι λέγεσθαι, ἐννοεῖς που, ὡς ἐγᾧμαι.

Tribus potissimum rebus commovemur, ut in his versibus tractandis operam ponamus, nam et argumentum et auctor et numerus versuum quaerenda esse videntur.

Quae de argumento carminis dicenda essent, disputavit Th. Preger in dissertatione Monacensi („De epigrammatis graecis meletemata selecta" (1899)) cf. etiam Bergk „hist. litt. Graec." I p. 779, a quo dissentit Duncker (historia antiquitatis I ^{5} p. 454). Mirum est, quod ipso carmine nihil de Mida narratur, quamquam in epitaphio pauca de mortuo dictum iri exspectamus. Platonis autem verbis *Μίδᾳ τῷ Φρυγὶ* illum Midam multis fabulis notum significari putamus; cum autem Dunckeri sententiam refellere non possimus, in suspenso relinquere malimus, quinam Midas hoc loco intellegatur. De sepulcro non est, quod operosius quaeratur; nam non multum in nostra causa valet.

Neque de auctore quaestio satis soluta est.

Epitaphium ita profertur, ut Homerum certe eius auctorem non putavisse Platonem appareat, praesertim cum praeter Iliadem et Odysseam nullum carmen Homeri nomine designetur ab eo (cf. Heine l. l. p. 15 sqq.). Homero ipsi posteriores id epigramma tribuisse testatur Ps. Herodotus, auctor libri de vita Homeri (v. p. 5, 24 West.). Neque vero fabulis ab hoc prolatis fides habenda est. Pro temporum ratione nequaquam sumere licere Homerum auctorem esse iam Diog. Laertius intellexit (I 89).

Maioris vero momenti est, quod eos versus Cleobulo Lindio, qui in septem sapientium numero collocabatur, vindicatos esse apud eundem Diogenem Laertium legimus nisum versibus Simonideis (frg. 57 Bergk.). Sed ei, qui hinc concludi posse Cleobulum auctorem epitaphii esse censebant, valde errabant (vide, quae Bergk. l. l. adnotavit). Immo inferiore aetate grammaticus aliquis, cum similitudinem quandam inter Midae epitaphium et Cleobuli carmen intercedere animadvertisset [1]), non diversa esse carmina arbitratus ab illo epitaphio, ut Simonidis

1) Eandem rem iuvat explicare collato scolio illo (Gorg. p. 451 E), de quo supra p. 37 diximus.

verbis responderet, alterum distichum inseruit oblitus sic tertio versu idem pleniore ore dici, quod iam secundi verbis: *ὕδωρ τε νάῃ* continetur.

Duos illos versus: *ἠέλιός τ' ἀνιὼν κτλ.* apud Diogenem additos eiciendos esse iam inde apparet, quod figuram cycli respuunt; qua de causa fieri non posse perspicuum est, ut Plato eos noverit. Schleiermacherus tamen (ad Phaedri versionem p. 383) duos hos versus paululum mutandos esse, ut difficultas de medio tollatur, censet; sed quemadmodum eos corrigendos esse putaverit, omisit adnotare vir doctissimus. Coniciat quispiam eos versus ab aliquo fictos esse, ut ita appareret Simonidem ad illud epigramma respexisse. Rectissime autem idem Schleiermacherus ibidem: „Es ist aus mehreren Gründen, inquit, nicht zu vermuten, daß Platon an dem Gedicht diese Eigenschaft nur zufällig sollte aufgefunden, noch weniger, daß er sie ihm sollte angedichtet haben.“ Nam si Plato suo arbitrio hunc vel illum versum omisisset (id, quod a Platone non alienum est, vide Sauppii adnotationem ad Gorg. p. 451 E) misere profecto comparatio claudicaret; accedit, quod omnes reliqui testes praeter Diogenem eandem ac Plato formam epigrammatis praebent parvulis lectionum discrepantiis neglectis: Ps. Herod. vit. Hom. p. 5, 24 West., Cert. Hom. et Hes., Dio Chrysost. 37 (vol. II p. 304 Dindorf), Anthol. Pal. VII 153. Io. Philoponus in Aristot. annal. post. p. 34 b. Memoriae autem difficultatem O. Crusius in Roscheri lexico mythologico II 1154 adn. sic expedire studet, ut illos versus in duos libros populares, et in vitam Homeri et in fabularum de septem sapientium pervulgatarum collectionem, receptos fuisse censeret.

De auctore autem nihil certi extricari potest; apud Platonem ipsum incertum est, utrum inscriptio re vera exstiterit necne, cum pro *γέγραπται* dicat *φασίν τινες γεγράφθαι*, similiter conformatum atque illud *λέγουσι τινὲς τῶν Ὁμηριδῶν* p. 252 B, ubi facetam aequalium irrisionem

statuimus; non male igitur Th. Preger in illa dissertatione suspicatus est id epigramma confectum esse a sophista quodam quinti saeculi, qui cum exemplum rhetorici illius cycli requireret Midae celeberrimo nomine ad eam rem usus esset.

Quibus rebus expositis pergamus in hac quaestione.

De eis locis alienis, qui nullo auctoris nomine afferuntur.

Restant enim ei loci alieni, qui simplicibus verbis inducuntur, sed tamen eo consilio, ut aliquid se mutuari indicet scriptor, velut rep. III p. 390 D *οἷον καὶ τὸ* — ibid. p. 390 B *ἢ τό*, attende etiam, quomodo rep. III p. 386 C sq. promiscue adhibeantur *καὶ* et *καὶ τό; τὰ* invenitur rep. III p. 389 E *καὶ τὰ τούτων ἐχόμενα, τὰ* —.

Prae Platone Aristoteles multo saepius simpliciter verbi *λέγειν* formam passivi, quod vocatur, adhibet, ubi Plato *Ὅμηρος λέγει* vel simile dicit, cf. e. g. Aristot. rhet. I p. 1362 b_{35} *διὸ εἴρηται* —, 1363 a_5 *ὅθεν ταῦτ' εἴρηται* —, 1464 a_{27} *ὅθεν λέγεται*: similia 1370 b_2 et b_{28}. 1371 a_{27}. II 1378 b_5. 1379 a_4. 1380 b_{22}. 1387 a_{33}. 1388 a_7 et $_{16}$. [sed 1392 b_7 legitur *ὅθεν καὶ Ἀγάθωνι εἴρηται*] 1397 b_{18}. 1399 b_{21}, alibi sescenties. Eandem rem apud posteriores observavit Brinkmannus l. l. *φασὶ* voce semel utitur Plato, Conv. p. 183 B *ἀφροδίσιον γὰρ ὅρκον οὔ φασιν εἶναι*, ubi versum alicuius tragici respicit (Nauck frgm. adesp. nr. 525), sed rep. II p. 363 D *παῖδας γὰρ παίδων φασὶ κτλ.* (cf. Il. XX 308) proverbii vim habet, velut Gorg. p. 447 A, p. 498 E, p. 505 C; p. 513 A, rep. I p. 329 E; leg. V p. 731 E, XII p. 968 E; accuratius *φασὶ οἱ παροιμιαζόμενοι* Theaet. p. 162 B et [Hipp. mai. p. 301 C].

Praeterea etiam commemorandum est, quod interdum adverbio *ὄντως* vel *τῷ ὄντι* verba aliena inducuntur, quamquam plurimis locis poetae nomen additur, velut rep. II p. 362 A *τὸ δὲ τοῦ Αἰσχύλου πολὺ ἦν ἄρα ὀρθότερον λέγειν κατὰ*

τοῦ ἀδίκου. τῷ ὄντι γὰρ φήσουσι .... — rep. V p. 466 C *γνώσεται τὸν Ἡσίοδον ὅτι τῷ ὄντι ἦν σοφὸς λέγων πλέον εἶναί πως ἥμισυ παντός.* cf. Gorg. p. 492 E post locum citatum *καὶ ἡμεῖς τῷ ὄντι ἴσως τέθναμεν;* Conv. p. 218 E sq. . . . *καὶ τῷ ὄντι „χρύσεα χαλκείων" διαμείβεσθαι νοεῖς.*

Hoc genus dicendi ne ab aliis quidem scriptoribus alienum est cf. Plutarch. Quom. adul. ab amico internosc. p. 62 C *ὁ μὲν γὰρ τοῦ φίλου τρόπος ὥσπερ ὁ τῆς ἀληθείας μῦθος ἁπλοῦς ἐστι κατ' Εὐριπίδην καὶ ἀφελὴς καὶ ἄπλαστος, ὁ δὲ τοῦ κόλακος ὄντως* — cf. Consol. ad Apoll. p. 104 A, p. 109 F, ubi versui interiectum *ὄντως* sententiam aliunde sumptam significat cf. p. 113 E sqq.[1]).

Quae cum ita sint, recte Wyttenbachius Xenoph. Conv. IV, 8 *ὄψον μὲν γὰρ δὴ ὄντως κτλ.* pro codicum scriptura *οὕτως* restituit *ὄντως,* quo apte ad Homeri verba delegamur.

Huius dicendi rationis vis vix diversa est ab altera, qua nonnumquam noster utitur cum dicit *ἀτεχνῶς* et *ὡς ἀληθῶς;* velut Conv. p. 179 B *καὶ ἀτεχνῶς, ὃ ἔφη Ὅμηρος, μένος ἐμπνεῦσαι ἐνίοις τῶν ἡρώων κτέ.* ibid. p. 198 C, *ὥστε ἀτεχνῶς τὸ τοῦ Ὁμήρου ἐπεπόνθη;* Euthyd. p. 291 D *καὶ ἀτεχνῶς κατὰ τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον μόνη ἐν τῇ πρύμνῃ καθῆσθαι τῆς πόλεως, κτέ.* Ion. p. 534 D de Tynnichi paeane, *ὃν πάντες ᾄδουσι, σχεδόν τι πάντων μελῶν κάλλιστον, ἀτεχνῶς, ὅπερ αὐτὸς λέγει, εὕρημά τι Μοισᾶν.* cf. Theaet. p. 179 E, Alcib. I p. 123 A; *ὡς ἀληθῶς* occurrit apud Plutarchum, Quom. adul. ab amico intern. p. 68 F *ὡς ἀληθῶς ἐν ταῖς τοιαύταις μεταβολαῖς* — (sequitur versus Euripideus).

Haec tria verba saepissime adhibentur in proverbiis afferendis: Lach. p. 187 B *ἀτεχνῶς τὸ λεγόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν* cf. ibid. p. 188 D, p. 196 D, Euthyphr. p, 3 A, Euthyd. p. 292 E, rep. IV p. 426 E *τῷ ὄντι ὥσπερ Ὕδραν*

---

1) cf. etiam De facie in orbe lunae p. 920 E.

τέμνουσιν ibid. VI p. 497 D, VIII p. 563 C, leg. IV p. 705 A, V p. 739 C, p. 900 C; Phaed. p. 66 C *τὸ λεγόμενον ὡς ἀληθῶς*[1]) *τῷ ὄντι ὑπ' αὐτοῦ οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίγνεται οὐδέποτε οὐδέν.*

De eis locis, ubi Plato aliena verba prorsus pro suis ponit.

In eis, quae modo attulimus, exemplis Plato eam rationem adhibet, ut nihil fere de loco laudato praemittat, tamen ita, ut quid sentiat se aliunde mutuatum esse dicat; sed exstant multi loci, ubi hoc quoque scriptor neglegit[2]).

Sed de hac re certam normam non valere consentaneum est. Iam Vahlenus (in opusc. acad. I p. 477[3])) observavit in eisdem locis citatis poetae nomen modo addi modo omitti; praeter exempla ibi allata cf. etiam Apol. p. 34 D et rep. VIII p. 544 D *(ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθεν ἢ ἐκ πέτρας κτέ.)* atque versus, qui rep. II p. 364 D sq. citantur cum eis, quae ibid. p. 365 E et leg. X p. 906 E leguntur. Dignum, quod notetur, est rep. I p. 331 A *γηροτρόφος, ὡς καὶ Πίνδαρος λέγει;* laudatur deinceps locus, ubi ille poeta hoc verbo utitur: idem vocabulum adhibet rep. VIII p. 569 B nomine poetae non addito.

Et proverbia quoque modo magis mox minus aperte significari intellegitur ex Euthyd. p. 293 A, ubi nude *πᾶσαν φωνὴν ἀφιέναι* dicitur, quod proverbialiter adhiberi indicatur addito *τὸ λεγόμενον* leg. X p. 890 D.

---

1) ad *ὡς ἀληθῶς* cf. rep. IV p. 435 C *ἴσως γὰρ . . τὸ λεγόμενον ἀληθές, ὅτι χαλεπὰ τὰ καλά* (eidem proverbio p. 497 D *τῷ ὄντι* intericitur) et Soph. p. 226 A *ὁρᾷς οὖν, ὡς ἀληθῆ λέγεται κτέ.*

2) quod versus nullo auctore et ne particula quidem adnexi ab Aristotele afferuntur, de eo genere dixit Vahlenus in illustri commentatione academica a. 1902 p. 177.

3) de glossarum Homericarum usu Platonico cf. Sengebusch l. l. p. 122.

Maxime autem verborum [1]) coniunctiones formulasque e poetis Plato in suam orationem ita transfert, ut prorsus eas ponat pro suis cf. Protag. p. 310 D *ἐπειδὴ δὲ τάχιστά με ἐκ τοῦ κόπου ὁ ὕπνος ἀνῆκεν* et Il. B 71: *ἐμὲ δὲ γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν.* De Tim. p. 71 C *(λοιβὸν δὲ καὶ δοχὰς πύλας τε)* et Menex. p. 245 D . . . *ὅθεν καθαρὸν τὸ μῖσος ἐντέτηκε τῇ πόλει* cf. Gleisberg „De vocabulis tragicis, quae apud Platonem inveniuntur", Diss. Vratisl. 1909. p. 59 sq. alia exempla attulit Vahlenus l. l. p. 477, cf. etiam Nauck frgm. Soph. 601. Et quod in levidensibus rebus Gorgias in dialogo eius nomine inscripto p. 449 A verba *εὔχομαι εἶναι* et Phaedrus in Conv. p. 179 B *μένος ἐμπνεῦσαι* ex Homeri carminibus se petere gloriantur, eo Plato facete horum morem perstringit.

Conclusio.

Quibus rebus absolutis venimus ad ipsos locos a Platone allatos, e quibus aliquid certi ad propriam eius rationem citandi erui potest.

Ac primum quidem, quoniam Plato aliena verba prorsus cum suis committit, nemo exspectabit accurate eum servare aut verba ipsa aliunde sumpta aut verborum ordinem.

Itaque potius explorandum est, quam diligentiam in transferendis aliorum sententiis adhibuerit et quo licentiae in poetarum versibus allegandis progressus sit.

Ac locorum citatorum alteram partem apud philosophum solum traditam esse accepimus — ex his autem, deficientibus aliis fontibus, qui eos praebent, iudicium facere non possumus — alteram eamque multo maiorem servaverunt codices quoque proprii eorum auctorum, e quibus exempla sumpta sunt.

---

1) de Homerico versu Conv. p. 174 D citato, ad quem Vahlenus l. l. delegat, cf. Rh. Gr. V, 535 (Walz).

Iam vero, si iidem poetarum loci hoc, quem significavimus, modo a pluribus testibus traditi sunt, paene necessitate quadam adducimur, ut iis utroque ex fonte in unum congestis quam accurratissime comparemus verba singula. Quam comparationem si instituimus, apud Platonem multis locis discrepantias invenimus.

Itaque necesse est quaeratur, quae eius scripturis fides habenda sit. Neque vero subsistere licet in singulis locis diiudicandis, sed omnibus, quae afferuntur exemplis in iudicium vocatis tota citandi ratio certis lineis describenda est.

Nemo profecto est, qui Platonem dedita opera et anxie Homeri aliorumque carmina perscrutatum esse putet, ut versiculis quasi luminibus orationem ornaret, sed versus philosophus semper cum ratione adhibet non ut e. g. Plutarchus, qui saepissime modum transit atque id unum spectare videtur, ut suam poetarum scientiam ostendat. Qua re quamquam florida fit dictio, tamen nos offendimur, praesertim cum in versibus citandis sales facetiasque desideremus, idque eo explicandum esse putamus, quod Plutarchus versus fere e florilegiis attulit, Plato autem, cum occasione data colloquentes facit, memoriter paucos versus atque eos audientibus notos afferre posset; unde factum esse videtur, ut multo commodius aliena verba proprio sermoni adaptentur, quam apud Plutarchum fit.

Iam vero lectiones Platonis proprias perquiramus; in quibus quidem testimoniorum singulorum natura ac proprietas respicienda est, scilicet necesse est cognosci genera mutationum, quae in poetarum verbis a Platone allatis saepe occurrunt. Quibus rebus cognitis cavebimus, ne plus ponderis testimoniis tribuamus quam quo re vera digna sunt.

Atque discernendum est, utrum fortasse ortae sint discrepantiae mutatione consulto a Platone facta an errore vel neglegentia sive scriptoris sive librariorum originem

duxerint; sed hoc non semper facile diiudicari potest, quin etiam interdum omnino erui non potest.

Ac primum quidem exstant eae mutationes, quas Plato ipse sua sponte ac consilio admittere non dubitavit.

Saepissime enim fit, ut qui aliena afferunt ea, quae ad citandum aptissima sunt, ceteris, quibuscum conexa sunt, neglectis, sola allegent atque, ne structura perturbetur, totius enuntiati conformationem commutent.

Hoc optime convenit cum eis, quae Hermogenes in libro, qui *περὶ ἰδεῶν* inscribitur (rhet. graec. II p. 450 Speng.) de versibus orationi inserendis tradit simul exemplis illustrans (de qua re cf. Seippel. l. l. p. 4 sq.). Idem Seippel. huius rei exempla cum ex aliis tum e Platone enumeravit atque optime explicavit ita ut ea retractare supervacaneum esset. Huc etiam referendae sunt eae locutiones ab aliis haustae, quas Plato ponit pro suis (v. supra p. 67 sq.), velut Conv. p. 183 E *οἴχεται ἀποπτάμενος* pro Hom. *B* 71 *ᾤχετ' ἀποπτάμενος*, p. 179 A *μένος ἐμπνεῦσαι* pro *O* 262 *ἔμπνευσε μένος* (cf. *K* 482), Phaedr. p. 260 A *οὔτοι ἀπόβλητον ἔπος εἶναι δεῖ*: Hom. *B* 361 *οὔτοι ἀπόβλητον ἔπος ἔσσεται.* cf. etiam Theaet. p. 183 E et *Γ* 172, rep. VII p. 566 C et *Π* 776 et *ω* 40.

Altera mutationum causa in eo posita est, quod Plato neglegentia quadam aut oculorum errore peccavit. Constat enim inter omnes veteres in afferendis versibus, quibus ad exornandas vel confirmandas sententias utebantur, libros inspicere solitos non esse, ut erant in litteris versati, memoria fretos. Quo factum est ut, quamvis memoria valerent, saepe lectionem vulgatam depravarent: synonyma praecipue inter se commutarentur aliaeque discrepantiae multae existerent.

Quod Plato e. g. Homerum memoriter laudat, minime mirum est; nam non tantum eruditos sed etiam mediocriter doctos tum si non totum Homerum, attamen ver-

suum copiam memoria tenuisse consentaneum est. Accedit, quod Plato nonnumquam voces Atticas [1]) pro epicis,

---

1) Theaet. p. 194 C quaestio oritur, utrum *κέαρ*, quod codices *BT* praebent an *κῆρ*, quod Schanzius Astio auctore mavult, scribendum sit. Priorem formam novissimus Platonis editor, Burnetus, in textum recepit, cui formae etiam Ludwichius favere videtur l. l. p. 144, eamque genuinam esse iam C. Meiser docuit in dissertatione Monachensi, quae inscribitur „Zu Plato's Phaedros, Protagoras und Theaetet" (1868) p. 23 sq. sic interpretatus: Cum enim (legitur p. 194 C *ἐνσημαινόμεμα εἰς τοῦτο τὸ τῆς ψυχῆς κέαρ, ὃ ἔφη Ὅμηρος αἰνιττόμενος τὴν τοῦ κηροῦ ὁμοιότητα*) Homerus nominatim laudatus semper (cf. Ludwich. „Aristarchs Homerische Textkritik" II p. 345 adn.) forma *κῆρ* uteretur propterea quod *κηρός* derivaret a voce *κῆρ*, vocem *κέαρ* genuinam *κηρὸς* verbi gratia in *κῆρ* eum mutavisse. Accedit quod *κέαρ* etiam p. 194 E legendum est, ubi cum ironia quadam de Homero additur *ὁ πάσσοφος ποιητής* (v. p. 32). Quae cum ita sint, codicum scripturam retinendam esse censeo.

Multo maiorem citandi libertatem Plato sibi sumpsit Gorg. p. 516 C, ubi leguntur haec: *ΣΩ οὐκοῦν οἵ γε δίκαιοι ἥμεροι, ὡς ἔφη Ὅμηρος· σὺ δὲ τί φῄς; οὐχ οὕτως; ΚΑΛ. Ναί ΣΩ Ἀλλὰ μὴν ἀγριωτέρους γε αὐτοὺς ἀπέφηνεν ἢ κτέ.* Idem legitur rep. VI p. 486 B, quamquam Homeri nomen non additur, sic: *Καὶ τοῦτο δὴ ψυχὴν σκοπῶν φιλόσοφον καὶ μὴ εὐθὺς νέου ὄντος ἐπισκέψῃ, εἰ ἄρα δικαία τε καὶ ἥμερος ἢ δυσκοινώνητος καὶ ἀγρία.* Homeri autem verba sunt haec ζ 120 (ι 175):

ἦ ῥ' οἵ γ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι. Respiciendum est versum hunc re vera Socratis sententiam exhibere. Si enim, quod ex Homeri verbis apparet, *οἱ ἄγριοι* non *δίκαιοι* sunt, ne *οἱ δίκαιοι* quidem *ἄγριοι* sunt, unde efficitur eos *ἡμέρους* esse. Platonis igitur intererat non ipsis Homericis verbis uti, sed Homeri sententiam praestare (cf. de Gorgiae loco Bergk. hist. litt. Graec. I p. 510 adn. 72 et Hiller, mus. rhen. XLII p. 336 et quae ibi adnotavit). Aliquid similitudinis habent ea, quae scholiasta ad Pindari Pyth. IV 278 Schr.

τῶν δ' Ὁμήρου καὶ τόδε συνθέμενος

ῥῆμα πόρσυν'. ἄγγελον ἐσλὸν ἔφα τιμὰν μεγίσταν πράγματι παντὶ φέρειν. adnotavit; habet enim poeta in mente *O* 207

ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἴδῃ.

Quae verba a Pindaro loco tantopere distare Bergkio videbantur, ut ea ab Iliadis versu pendere negaret. Non recte, ut opinor; quamquam enim verbis Pindari cum Homericis comparatis primo obtutu eam Homericam originem redolere non videntur, tamen sententia examinata scholiastae assentiendum est (cf. Hiller, l. l. p. 330).

lyricis, similibus reddit (cf. de hac re, quae monuit Dielesius in praefatione ad Parmenideum carmen confecta p. 26). Restat tertium genus mutationum.

Consulto enim saepissime Plato verba aliunde sumpta invertit, quae ad orationis sensum adaptat.

Qui tria haec varietatum genera in aestimanda testimoniorum auctoritate semper respiciet, ei persuasum erit in rebus criticis nihil festinandum esse.

Sed quomodo res sese habet de aliis locis, ubi neque e citandi licentia neque e philosophi consilio natae sunt scripturae, quas etiam alii scriptores hisce locis usi legisse videntur? Suntne ea discrimina in eo posita, quod Plato aliud exemplar habuit ac nos, quamquam nihilominus versus e memoria allati esse possunt? Cum haec res summi momenti sit, de ea et de illis, quae modo indicavimus, quid eruere possimus, in altera disputatione videbimus [1]).

1) e. g. Hesiodei loci quidam a Platone allati aliquid conferunt ad textum restituendum. Neque enim raro scriptores quarti saeculi ante Chr. n. meliorem textum tradunt quam codices peculiares. cf. Leo „Hesiodea" Ind. lect. Gott. (1894) p. 16 sqq.

Index rerum.

Vita.

Natus sum Guilelmus Langbein in vico Graefenhain prope Gotham sito anno 1886 a. d. VIII. Kal. Novembres patre Carolo, matre Elisa, e gente Wagner, quos adhuc in vivis esse valde gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum autem elementis me per quattuor annos magistri illius vici erudiverunt, postea ad humanitatis studia capessenda in sextam classem progymnasii Ohrdrufiensis, cui tum nomen Gleichense erat, receptus sum. Ibi septem annis peractis maturitatis huius scholae testimonium adeptus primae Gothani gymnasii Ernestini classi adscriptus sum. Non potuit quicquam accidere vel exoptatius vel opportunius quam ut Adalberto de Bamberg (†), cuius consilio et industria tum id lyceum florebat, et Rudolfo Ehwald magistris uterer, eorumque virorum prudentia concitatus sum ad tantum litterarum antiquarum amorem, ut in his potissimum vitam meam consumere decernerem. Gothae exacto curriculo scholastico Jenam me contuli anno 1906, ut antiquitatis investigationi me darem. Quem studiorum cursum in Jenensi litterarum universitate per novem semestria tenui: Semestre aestivum 1907/08 Berolini peregi, ubi audivi viros doctissimos: Diels, Helm, Kekule de Stradonitz, Norden, E. Schmidt, Wenzel, de Wilamowitz. Jenae autem docuerunt me viri doctissimi: Capeller, Delbrück, Diehl, Dinger, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Judeich, Liebenam, Liebmann, Lietzmann, Michels, Rein, Staerk, Thuemmel, Weber, Weinel, Wendt. Quibus omnibus viris debitam iustamque gratiam debeo semperque habebo, imprimis Diehlio et Goetzio, qui ad philologiae studia me incitaverunt; omnium autem maxime Hirzelio quantum debeam, cuius benigno consilio semper adiutus sum, grato pioque animo usque confitebor.